Visual Library Portal

Digitalisierung von Drucken des 18. Jahrhunderts

Dissertatio Inavgvralis De Comissationibvs Vetervm Ex Graecis Romanisqve Antiqvitatibvs

Schwarz, Christian Gottlieb

Altorfii Noricorum, 1744

urn:nbn:de:s2w-2911

Visual Library

DISSERTATIO INAVGVRALIS
DE
COMISSATIONIBVS VETERVM
EX GRAECIS ROMANISQVE ANTIQVITATIBVS

QVAM

CONSENTIENTE INCLVTO PHILOSOPHORVM ORDINE

PRAESIDE

DOM. CHRISTIANO GOTTLIBIO SCHVVARZIO

SAC. CAES. MAIEST. COM. PALAT. MORAL. ELOQV. ET HISTOR. PROF. PVBL. ACADEM. BIBLIOTHECAR. ATQVE BENEFICIAR. NORIC. INSPECTORE ACAD. IMPER. NATVR. CVRIOS. ITEMQVE REGIAE BORVSS. SOCIETATIS SCIENT. COLLEGA

DOM. PATRONO AC PRAECEPTORE AETERNVM VENERANDO

PRO OBTINENDIS

SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS

A. D. VIIII SEPT. A. S. R. CIↃ IↃ CCXXXXIIII

EXAMINI PVBLICO SVBIICIT

IOH. IACOBVS FREY
LINDAVIENSIS

ALTORFII NORICORVM
TYPIS IOHANNIS ADAMI HESSELII.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO DE COMISSATIONIBVS EX GRAECIS ROMANISQVE ANTIQVITATIBVS.



Tudiorum Academicorum publicum Specimen dare iussus, de COMISSATIONIBVS VETERVM disputare constitui; non, quod adamem secterque ipsas *comissationes*; cum maximam capiam uoluptatem, quod istiusmodi uoluptate non capior: sed quia quasi quidam humanitatis cibus mihi est, in cognoscendis Graecorum Romanorumque antiquitatibus uersari. His ego rebus, post diuinae humanaeque sapientiae studium, maxime pascor, his delector, his perfruor. Eo lubentius autem ad hoc argumentum pro uirili parte explicandum aggredior; quod ex iis, qui de conuiuiis ueterum commentati sunt, non nulli nimis parce breuiterque id perstrinxerunt. Equidem eruditi *obseruationum sacrarum* auctores, a B. IO. CHRISTOPHORO WOLFIO in *curis philologicis* laudati, non nihil huc contulerunt; sed ita, ut et hi spicilegium non sterile aliis reliquerint. Quare confido, futurum esse, ut nec ipse ab his *comissationibus* ἀσύμβολος discessisse uidear. Ille uero fructus huius laboris mihi praecipue iucundus est uisus, quod inde quibusdam ueterum scriptorum, et ipsarum quoque literarum diuiniorum, locis maior lux affundi possit. Itaque hanc qualemcunque tractationem trifariam diuidere constitui, ut quidem in primo capite generatim de *comissationibus* agam; in altero, ea, quae de his exposuero, ad illustrandum *uersiculum tertium Capitis* IIII Epistolae diui PETRI

Prooemium de instituto et fine huius dissertationis.

conuertam; in tertio denique, locum quendam *Panegyrici Pliniani* hinc explicem, eiusque antiquam lectionem a recentiorum quorundam correctione uindicatum eam.

CAPVT I.

GENERATIM DE COMISSATIONIBVS.

I.

Vnde deriuetur uox, COMISSATIO, *et quomodo scribatur?*

Ante uero, quam ad rem ipsam progrediar, non nihil de nomine *comissationis* dicendum est; de cuius deriuandi scribendique ratione non unum idemque omnes sentiunt. Vocem quidem hanc ἀμέσως a uerbo *comissari* deduci, nemo facile negabit; at unde hoc ipsum uerbum descendat, ambiguum uidetur. VARRO, *de lingua latina lib.* VI, *pag.* 56: *Comiter*, inquit, *hilare ac lubenter; cuius origo Graece* κῶμος. *inde Latina* COMISSATIO *dicta, et a Graecis, ut quidam dicunt, Comoedia.* VELIVS LONGVS, *de Orthographia*, inter *Putschii Grammaticos*, *pag.* 2233: *Quaeritur*, inquit, *in comisatore, geminatis consonantibus, an simplicibus, scribendum, et enuntiandum? In comisatore utramque consonantem simplicem ponamus: nam, aut a comitate uox ducta est, aut a Graeco,* παρὰ τὸν κῶμον. *S uero geminata uocis sonum exasperat.* Inter recentiores inueni neminem, qui istam ἐτυμολογίαν, a *comis*, et *comitas*, amplexus sit; at ea, quae a Graeco nomine κῶμος, uel κώμη, deducitur, omnino pluribus, antiquis pariter atque recentioribus, arrisit. Iam enim POMP. FESTVS, *de uerborum significatione*, haec tradit: COMISSATIO *a uicis, quos Graeci* κώμας *dicunt, appellatur. In his enim habitabant prius, quam opida conderentur: quibus in locis alii alios conuictus caussa inuitabant.* Idem sensit POLLVX, *lib.* VIIII, *cap.* 2: Ἀπὸ δὲ κωμῶν — κωμικὸν δρᾶμα, καὶ κωμῳδικὸν, ἐπεὶ κατὰ κώμας ἔστησαν τὴν πρώτην οἱ χοροί. Ἀπὸ τούτου, καὶ ὁ κωμικὸς, καὶ τὸ κωμάζειν, καὶ ὁ κωμαστὴς, παρὰ πλάτωνι. h. e. *A pagis uero comica fabula, et comicum; quoniam in uicis chori olim constituebantur. Ab hoc et Comicus, et comissari, et comissator, apud Platonem.* Et *cap.* V, *sect.* 37: Δοκεῖ δέμοι καὶ ὁ κῶμος ἀπὸ τούτης ὠνομᾶσθαι τῆς κώμης. καὶ τὸ ἐγκώμιον ἐπὶ ταῖς νίκαις ἐπᾳδόμενον. i. e. *Videtur mihi et Comus a uico nomen*

nomen duxisse, et encomium, pro uictoria cantatum. EVSTATHIVS *ad Homerum*, quem citauit LAMB. BOS, *in exercitat. philol. pag.* 117, *uidetur deriuare a* κῶμα, *somnus*; quando dicit, κῶμον esse, τὸν ἐν συμποσίῳ κάρον, δι' ὃ κατα φέρεταί τις εἰς κῶμα, τυτέστιν ὕπνον. i. e. *Comum, siue comissationem*, esse capitis *grauedinem, qua quis afficitur in sympoſio, per quam incidit in* κῶμα, *siue somnum.* In quam sententiam etiam MARTINIVS, in *Lexico philologico, comessor* quidem a κῶμος; sed nomen hoc a κῶμα, i. e. *somno profundo*, ducit; quia eum producat *Comus*, siue compotatio, et amatoria lasciuia. Illud κῶμα uero deriuat a κοιμᾶσθαι, *dormire*. Sunt, qui *comessari* scribant, et a *comesum*, quod est supinum a uerbo, *comedo*, deducant, tanquam uerbum frequentatiuum, ut Grammatici uocant; quia proprie *comissatio* post coenam fieri consueuit. Quae opinio fuit LAEVINII TORRENTII, in *Comment. ad Suetonium, in Vitellio, cap.* XIII. Etiam BVLENGERVS, *de conuiuiis, lib.* I, *cap.* 3: *Comissabantur post coenam*, inquit; *quae uox non a Graeco* κωμάζειν, *ut uoluit Lambinus, sed a comedendo, facta.* GERARDO IO. VOSSIO, in *Etymologico*, magis placet, esse a כמוש, *Chamos*, qui *Moabitarum deus*, ut est I REGVM, *cap.* XI; cum is uideatur conuiuiis a Moabitis cultus; indeque esse ortum, quod κῶμος a Graecis habitus sit *temulentiae deus.* IS. CASAVBONVS, *de Satyrica Graecorum poesi, lib.* I, *cap.* 4, tradit, nomen κώμου pure esse Ebraicum: קום, esse *surgere*: inde κῶμος, ut a מום Μῶμος; et esse κῶμον proprie ἀνάσασιν ἀπὸ δείπνου, *eruptionem a mensa in publicum.* Quod uero ἔτυμον rifit HERIBERTVS ROSVVEIDVS, in *Anti-Capelli praef.* annotante THOMA CRENIO, in *Museo philologico, pag.* 114. Ego interim in eorum sententia acquiesco, quibus *comissatio* ducitur a uerbo *comissari*, et hoc a Graeco κωμάζειν. κωμάζειν autem proxime a κῶμος. Sic PLVTARCHVS, *lib.* VIII. *Sympoſiac. Problem.* VI, *pag.* 726, ubi ait, Latinos multa Graecis uocabulis exprimere, huc etiam refert *comissationem.* Τίς ἂν εἴποι, ἐπὶ κῶμον ἑλληνικῶς κωμεσσάτον λέγεσθαι; h. e. *Quis neget, comissatum*, siue *comissationem*, a Graeco *komo dici?* Puto tamen,

hanc ἐτυμολογίαν posse cum sententia FESTI, SCALIGERI, aliorumque, *comissationem* a κώμαις, *uicis*, deriuantium, facile conciliari; si dicamus, utique etiam κῶμον a κώμαις originem inuenisse; quia κῶμος, cum, quatenus deum et genium notat, ab initio potissimum in uicis pagisque fuerit cultus; tum, quatenus significat conuiuium nocturnum et petulans, talia nocturna conuiuia ibidem primum maximeque sint frequentata. Sic POLLVX, loco citato, nomen κώμου diserte duxit ἀπὸ τῆς κώμης, *a vico*. Istam uero deriuationem uocum *comissationis* et *comissari* a Graeco κώμη praeter ceteros expoliuit SCALIGER, apud quem, *lib.* I *Poetices*, *cap.* 5, haec legimus: *Quod Attici* δήμους *dicunt*, *Dores* κώμας. unde κωμάζειν, *quod est*, *per uicos uagari animi gratia. Id a coena faciebant*, *ut remitterent animum post negotia diurna.* — — *Iuuentus ergo*, *uacui temporis otio*, *atque licentia noctis*, *abusa*, *secura imperiorum*, *uel heri*, *vel patroni*, *uel parentum*, *per pagos* (*nondum enim in urbes conuenerant*,) *discurrebat. Qui mos cum ipso nomine simul ad nos deductus est.* etc. Iam, quod ad ὀρθογραφίαν attinet, nomen, *comissatio*, et verbum, *comissari*, uarie in libris scriptis excusisque solet exprimi. u. g. *comesatio*, *comessatio*, *comassatio*, *commissatio*. Sigillatim PETRVS VICTORIVS, in *notis ad Cicer. lib.* I *Attic. epist.* XVI, *m* geminandum putauit, et *commissari commissatoresque* scribi debere uoluit; quia sic scriptum extiterit in Bembi Terentio, et in castigatis Ciceronis exemplaribus, *lib.* I *ad Attic. epist.* XIIII, et *lib.* I *ad famil. epist.* VIIII. FR. IVNIVS etiam, ad *Cicer. lib.* I *ad Attic. epist.* XVI, notat, aliquando non *comissatores*, sed *commensatores*, quasi ὁμοτραπέζους, dici; quamquam fateatur, eam scripturam, si bene meminerit, non ullo exemplo, sed unius MS. fide duntaxat niti. Atque ita in codice MS. Parisiensi Panegyrici Pliniani, pro *comissationibus* exaratum deprehenditur *commensationibus*. Malim ergo hac in re maiorem ueterum recentiorumque grammaticorum et criticorum consensum sequi, quibus scribitur *comissatio*. Sic VOSSIVS, in *Etymologico*: *Vera meo iudicio*

iudicio sententia est, scribendum, comissari, comissatio; quod ueteres libri ac lapides approbant, neque ἀναλογία refellitur. Nam etsi a κωμάζειν (haec enim uera omnino origo,) esset comassari; tamen nihil obstat, quominus ueteres εὐφωνίας caussa A in I conuerterint: quomodo et ἀπατριάζειν dicunt patrissare. Haud secus in *disco*, *a δάσκω*, in *machina*, *a μηχανὴ*, in *Numidae*, *a* Νομάδες, et uocibus multo pluribus, *a* in *i*, mutari solet. Sic LAMBINVS, ad *Cicer. Orat. II in Catil. cap. V: Nemo hodie*, inquit, *nisi indoctissimus, dubitat, quin comissari, et comissatio, et comissator, Latine dici scribique debeat; non, ut patrum nostrorum aetate, comessari, comessatio, comessator.* Qua de re idem plura habet in *commentariis Horatianis, ad Odam* I *libri V.* Sic et BVRMANNVS, ad PETRONIVM, *cap.* LXV: *Nos cum iis facimus, qui comissari rectum putant; quia id in antiquissimis Terentii et aliorum membranis fuit repertum.* Quod si uero considero, PLVTARCHVM l. c. Latinam uocem κωμεσσάτον Graecis literis expressisse; nolim scripturam, *comessari*, et *comessatio*, penitus condemnare.

II. Licet autem mihi persuasum habeam, *comissari* a κωμάζειν, et hoc proxime a κῶμος, descendisse; utique tamen largior VOSSIO, obseruanti, latius patere nomen κώμου, quam *comissationis.* Non repeto nunc omnes huius uocis significationes, quas iam in *Thesauro linguae Graecae* exposuit HENR. STEPHANVS. Et quamuis EZECH. SPANHEMIVS, in *notis ad* ARISTOPHANIS *Plutum*, *u.* 1041, doceat, κῶμον in genere etiam de quouis solenni conuiuio a Graecis dici: sufficit tamen in praesens monuisse, nomen hoc Graecum etiam sigillatim pro *comissatione* poni. Luculentissimum huius rei testimonium praebet PLVTARCHVS, *lib.* I *Sympos. Probl.* VIII, *pag.* 624, maxime, si hic PLVTARCHI locus cum loco SVETONII in *Vitellio*, *cap.* XIII, inferius excitando conferatur. PLVTARCHI uero haec uerba legimus: Ἡρακλείδης, ἀπορῶν συμπότου παραμένοντος, ἐκάλει τὸν μὲν ἐπὶ πρόπομα, τὸν δ' ἐπ' ἄριστον, ἄλλους δ' ἐπὶ δεῖπνον, ἐλάττους δέ τινας ἐπὶ κῶμον. Ἀπαλλαττομένων δὲ τῶν πρώτων, δεύτεροι

De significatione Graecae uocis, κῶμος.

δεύτεροι συνῆπτον, εἶτ' ἐφεξῆς οἱ τρίτοι, καὶ τέταρτοι. κἀκεῖνος οὐδὲν διάλειμμα ποιῶν ἅπασιν ἐξήρκει, καὶ τὰς τέσσαρας πότας συνδιέφερε. i. e. *Heraclides, cum non inueniret permanentem, siue assiduum compotorem, quosdam ad matutinam potionem* (quae ientaculi loco erat,) *alios ad prandium; ad coenam rursum aliquos, et tandem aliquos ad comissationem, inuitauit, ita, ut primis continuo secundi, ac deinceps tertii et quarti succederent, ipse autem, nulla facta intercapedine, omnibus sufficiebat, quatuorque una compotationes peragebat.* Et certe formula, quae apud ARISTOPHANEM, aliosque scriptores Graecos, frequenter occurrit, ἐπὶ κῶμον βαδίζειν, nihil aliud significat, quam ad *comissationem ire*, siue *comissatum ire.* Sic et THEOGNIS, *u.* 934, ait: Καὶ γὰρ τὴν προτέραν νύκτ' ἐπὶ κῶμον ἔβην. i. e. *Nam et superiore nocte ad comissationem iui.* Illud uero praecipue notandum est, etiam *deum*, siue *genium*, qui *praeses comissationum*, et *Bacchi sodalis*, habebatur, Κῶμον, *Comum*, appellari consueuisse; cuius imaginem describit PHILOSTRATVS, περὶ εἰκόνων, *lib. I imag.* 2, *pag.* 765: Ὁ δαίμων, ὁ κῶμος, παρ' ὃ τὸ κωμάζειν τοῖς ἀνθρώποις, ἐφέστηκεν ἐν θαλάμῳ θύραις χρυσαῖς. i. e. *Comus daemon, siue genius, a quo habent homines, ut comissentur, in thalami foribus aureis consistit.* Refert uero PHILOSTRATVS, *Comum* hunc ob tempus nocturnum quasi in tenebris repraesentari, et uenire iuuenem ad iuuenes, tenerum, uino rubicundum, atque ebrium, qui sit erecti corporis, statu dormiens, et dextra faculam, ac capite coronam rosarum, gerat; quem comitentur οἱ κωμάζοντες, *comissantes*, cum lampadibus, crotalis, ac confusis uocibus, plausuque manuum, et turba mulierc ularum cum uiris incedentium. Sic et LVCIANVS, in *Amoribus pag.* 903, commemorat deos quosdam, quorum sacra arcana et templa frequentarent lasciuae Graecorum feminae, et in his sigillatim nominat *Coliadas, Genetyllidas, Phrygiam deam,* καὶ τὸν δυσέρωτα κῶμον ἐπὶ τῷ ποιμένι. i. e. *Comum, qui perdite amarit pastorem.* Coliades, et Genetyllides uidentur Bacchi et Veneris comites fuisse; de quibus nominibus uide *Scholiasten* ad ARISTOPHANIS *Lysistratam*, *u.* 2;

et

et SPANHEMIVM, ad eiusdem *Aristophanis Nubes*, *u* 52. Adhaec κῶμος etiam in Bacchi pompa apud Athenienses repraesentatus est, secundum DEMOSTHENEM, *in Midiam*, *pag.* 604: Καὶ τοῖς ἐν Ἄστει Διονυσίοις ἡ πομπὴ, καὶ οἱ παῖδες, καὶ ὁ κῶμος, καὶ οἱ κωμῳδοὶ, καὶ οἱ τραγῳδοί. i. e. *Et Dionysiis sacris in Vrbe pompa procedens, et pueri, et Comus, et comoedi, et tragoedi.* Quanquam ambigam, an non hic per κῶμον coetus comissantium, siue chorus saltantium et hymnos in honorem Bacchi cantantium, indicetur. Id certum est, apud EVRIPIDEM, *Cyclop. u.* 39, generatim Bacchi sodales κώμους dici: ὅτε τῷ Βάκχῳ κῶμοι συνασπίζοντες Ἀλθαίας δόμους προσῆλθ', ἀοιδαῖς βαρβίτων σαυλούμενοι. h. e. *Cum Baccho Sodalium chori simul famulantes Althaeae domum adibatis, cantu barbitorum delectati.* Ad quae uerba BARNESIVS haec commentatur: κῶμος, *comissatio*, item saltatio festiua, cantilena lasciua, et *comissantium chorus*, siue *comitatus Bacchicus*, ut in hoc loco; quomodo Demosthenes et Athenaeus utuntur hac uoce, et pro quauis turba, et pro militum manu, ut *Supplic. u.* 390. Sic eidem EVRIPIDI, *in Bacchis*, *u.* 1166, κῶμος εὐίου θεοῦ dicitur *sodalitium*, siue *chorus Euii dei*, i. e. Bacchi. Id denique ὡς ἐν παρόδῳ noto, etsi Graeci scriptores commemorent κῶμον tanquam deum et genium; mihi tamen ex Latinis mythologis, aliisque huius linguae antiquis scriptoribus, nullum succurrere locum, ubi *Comus* tanquam deus quidam nominetur.

III. Cum uero κῶμος Graecorum, et *comissatio* Romanorum, generatim diceretur conuiuium, quod post coenam extendebatur in multam noctem, ubi quidem et bellariis se oblectabant, et compotationi, aliisque uoluptatis generibus, indulgebant, prout infra ostendam; tum facile patet, quemadmodum huiusmodi *comissatio* ab aliis cibi potusque capiendi rationibus fuerit distincta. Scilicet, quod praeter alios, SCALIGER, *lib.* I *Poetices*, *cap.* V, breuissimis docuit, qui in utraque ista gente frugaliter uiuebant, *mane* uel nihil comedebant, uel non nisi praeparco et minimo *ientaculo* erant contenti; neque *meridie* largius, quam ad reficiendas uires opus erat, *prandebant*: at sero demum

Quomodo COMISSATIONES *a* PRANDIIS *et* COENIS *distinctae fuerint?*

demum die, siue uespere, largius *coenabant*, tum uberiore epularum apparatu, tam familiarium atque hospitum societate. idcirco *coena* dicta, quia κοινῇ uescerentur, διὰ τὴν κοινωνίαν. Atque ordinarium quidem tempus *coenae* erat aestate hora nona diei naturalis; hieme, hora decima. Hinc CICERO, *lib.* VIIII *ad famil. epist.* 26: *Accubueram hora nona, cum id literarum exemplum in codicillis exaraui.* MARTIALIS, *lib.* IIII, *epigr.* VIII: *Imperat exstructos frangere nona toros!* Auctor, ad *Herennium lib.* IIII, *cap.* 51: *Venit in aedes quasdam, in quibus sodalitium erat eodem die futurum. Perspicit argentum, quod erat expositum; uisit triclinium stratum. Itaque inquit: Eamus hospites. — Vos huc decima uenitote.* Iusta, siue recta *coena*, quae quidem ἐντελὲς δεῖπνον LVCIANO, in *Symposio*, *pag.* 650, dicitur, habuit tres partes: *promulsidem*, siue *antecoenium*, uel *gustationem*, ubi potissimum ea adhibebantur, quibus appetitus excitaretur; deinde *caput coenae*, quod proprie δεῖπνον audiit, ubi fercula et missus carnium iurulentarum et assarum, piscium que, apponebantur; tum uero *mensam secundam*, in qua *bellaria* locum habebant, et *poculis* indulgebatur; unde *comissatio*, siue κῶμος, extitit. Haec probat SVETONIVS, in *Vitellio*, *cap.* XIII: *Vitellius*, inquit, *uel praecipue luxuriae saeuitiaeque deditus, epulas trifariam dispertiebat: in ientacula, et prandia et coenas, comissationesque; facile omnibus sufficiens uomitandi consuetudine.* Cui exemplo Vitellii exemplum παράλληλον est Heraclidis pugilis, quod supra *pag.* 7, ex PLVTARCHO produxi. Vides hinc, *comissationes* potissimum post coenam frequentari solitas, et *comissari* proprie esse, post coenam epulari. Quod de Vitellio narrauit SVETONIVS, confirmat DIO CASSIVS, *lib.* LXV, *pag.* 734: Ἐγένετο ὁ χρόνος ὁ τῆς ἀρχῆς Βιτελλίου σύμπας ἐδὲν ἄλλο, ἢ μέθαι τε, καὶ κῶμοι. — Ἄλλοι μὲν ἀκρατίσασθαι παρεῖχον, ἄλλοι δὲ ἀρῆσαι, ἕτεροι δὲ δεῖπνον, ἕτεροι μεταδόρπιά τινα πλησμονῆς παραμύθια. i. e. *Fuit tempus omne principatus Vitellii nihil aliud, quam ebrietas, et comissationes. — — Alii*, (qui Vitellio uicissim epulum dabant,) *dabant ei ientaculum; alii, prandium; alii, coenam; alii, comissationes, ueluti solatia satietatis.* Hic *comissationes* uocantur μεταδόρπια, ex μετὰ, et δόρπος, *coena*, quasi

quasi *postcoenia*, siue *pocaenia*; quod nomen Latinum non primus inuenit BEROALDVS, prout nonnulli putant; sed iam in antiquis CYRILLI et PHILOXENI *Glossis*, a LABBEO editis, extat: Κῶμος, *comissatum*, *comissatio*, *pocoenium*. Praeterea ex hoc quoque loco intelligimus, non omni coenae et conuiuio adiunctam fuisse *comissationem*; cum Vitellius dicatur, apud alium *coenasse*, apud alium *comissatus esse*. Testatur id clarius exemplum Domitiani, de quo SVETONIVS, *cap.* XXI: *Lauabat*, inquit, *de die, prandebatque ad satietatem; ut non temere super* COENAM, *praeter Matianum malum, et modicam in ampulla potiunculam, sumeret. Conuiuabatur frequenter ac large, sed paene raptim; certe non ultra solis occasum, nec ut postea* COMISSARETVR. Contra luxuriae uitio datum est Tito Vespasiano, referente SVETONIO, *cap.* VII, quod *is ad mediam noctem comissationes cum profusissimo quoque familiarium extenderit.*

IIII. *Comissationibus* occasionem dedisse *mensae secundae*, immo in his non raro *comissati esse* conuiuae, uidentur. *Mensa* autem *secunda* dicebatur, quando post uarios missus carnium piscium*que bellaria* inferebantur, atque, pro re nata, acroamata, et spectacula, itemque alia, quae hilaritatem excitarent, inter largiora pocula adhibebantur. GELLIVS, *lib.* XIII *Noct. Attic. cap.* XI, ubi ex Varrone agit de mensis secundis et bellariis: *Quod Varro*, inquit, *dixit bellaria, ne quis forte in ista uoce haereat, significat id uocabulum omne mensae secundae genus: nam, quae πέμματα Graeci, aut τραγήματα, dixerunt, ea ueteres nostri bellaria appellarunt. Vina quoque dulciora est inuenire in comoediis antiquioribus hoc nomine appellata, dictaque esse ea Liberi bellaria.* Scilicet, appositis mensis secundis, tum etiam adhuc edulia quaedam, sed ea maxime, quae partim siti redintegrandae inseruire, partim ad oris suauitatem facere, putabant, tum praecipue post libationem pocula largiora uini, locum habebant. Sic antiquus *Scholiastes Horatii* a TORRENTIO, ad *lib.* IIII *od.* V, adductus: *Antiquorum*, inquit, *consuetudo fuit, ut, sublata prima mensa, poneretur secunda, atque in ea, positis poculis, infusoque uino, diis libaretur.* Etiam SERVIVS, ad VIRGIL. *lib.* I *Aen. u.* 723:

De MENSIS SECVNDIS, *quae* COMISSATIONIBVS *occasionem dedisse uidentur.*

u. 723 : *Apud Romanos*, inquit, *duae mensae erant : una epularum ; altera poculorum.* Ita nunc melius ibi legitur, *poculorum*, quam antehac *pomorum* : quanquam aliquando etiam *poma* mensis secundis apponerentur. LAMPRIDIVS, in *Alexandro Seuero*, *Cap.* XXXVII : *Pomis uehementer indulsit, ita, ut secunda mensa illi saepius poneretur ; unde etiam iocus extitit, non secundam mensam Alexandrum habere, sed secundum.* Vbi Salmasius notat, *pomorum* uoce omnia τὰ τῆς ὀπώρας comprehendi. Adhaec DONATVS ad eundem Virgilii locum : *Confectis epulis, studium bibendi prosequebantur.* Nempe tunc compotatio liberior, et hilarior, maiorque, fiebat in secunda mensa, quam in prima ; cum maiora tunc pocula poscerentur, et inuitationibus largius indulgeretur. Imaginem mensae secundae, quanquam tunc moderatae et pudentis, delineat VIRGILIVS, in describendo conuiuio Didonis et Aeneae, *lib.* I *Aen. u.* 723, seqq. ubi SERVIVS recte notat, quamuis Dido fuerit Punica Regina, poetam tamen sub extranea persona Romanorum exequi morem :

Postquam prima quies epulis, mensaeque (primae) *remotae ;*
Crateras magnas statuunt, et uina coronant.
Fit strepitus tectis, uocemque per ampla uolutant
Atria : dependent lychni laquearibus aureis
Incensi, et noctem flammis funalia uincunt.
Hic Regina grauem gemmis auroque poposcit,
Impleuitque mero, pateram. Cetera in ipso Virgilio legere licet. Videmus uero, in hac *mensa secunda* allatas esse *crateras magnas*, easque floreis coronis ornatas ; sicut alias et ipsi compotantes conuiuae coronari sunt soliti ; quia tunc praecipue poculis et uino indulgebatur, et conuiuae duplici uoluptate, saporibus nimirum, et odoribus, se exhilarabant. Quia uero *nocturnae* erant hae *epulae*, lychni et funalia, siue faces, flammis noctem uicisse dicuntur ; quos lychnos HORATIVS, *lib.* III *Od.* VIII, uocat *lucernas uigiles.* In primis notanda est libatio diis facta : cum enim Dido primum, patera mero impleta, Iouem hospitalem esset precata, et Bacchum, laetitiae datorem, Iunonemque

nemque, inuocaſſet, praeſentesque optaſſet; *in menſam libauit uini honorem*; de qua libatione et cultu deorum inter pocula poſthaec nonnihil dicam. Praeterea Dido pateram dedit Bitiae, claſſis Punicae praefecto, *increpitans*, i. e. clara uoce exhortans, ut ceteris praebiberet: quem adeo quaſi *principem* et *modimperatorem*, ut uocabant, fecit. Poſt enim et *alii proceres* biberunt. Inter haec uero *Iopas* cithara ludebat, canebatque, non obſcaena et turpia; ſed, ut in conuiuio Reginae caſtae, et pii Aeneae, ſeria, et ex philoſophia petita, quae docuerat Atlas. Demum, cum conticuiſſent omnes, intentique tenerent ora, Aeneas, obſecutus Didoni roganti, fata excidii Troiani, itinerisque ſui, copioſe et longo ordine uſque in ſeram noctem enarrauit, cum iam ſidera cadentia ſomnum ſuaderent. Haec adeo *menſa ſecunda* ritus quidem quosdam comiſſantium oſtendit; attamen, ut inter perſonas graues, nihil indecorum factuque turpe habuit, neque proprie et ex uulgari notione promeruit nomen *comiſſationis*. At alii aliter in menſa ſecunda rem geſſerunt. GELLIVS, *lib.* XVIIII, *cap.* VIIII, commemorato quodam conuiuio: *Vbi eduliis*, inquit, *finis*, (i. e. ubi remota prima menſa,) *et poculis mox ſermonibusque tempus fuit, deſiderauit Antonius Iulianus, rhetor, exhiberi, quos habere eum adoleſcentem* (qui coenam dabat amicis ac magiſtris ſub Vrbe, in ruſculo,) *ſciebat, ſcitiſſimos utriusque ſexus, qui canerent uoce, et qui pſallerent: ac, poſtea quam introducti pueri puellaeque ſunt, iucundum in modum* Ἀνακρεόντια *pleraque et Sapphica, et poetarum quoque recentium* ἐλεγεῖα *quaedam erotica, dulcia, et uenuſta, accinerunt.* Hic propiorem imaginem alicuius comiſſationis animaduertas. Sed luculentius eiusmodi exemplum ſuggerit XENOPHON, in *Sympoſio, pag.* 691: Ὡς δ' ἀφῃρέθησαν αἱ τράπεζαι, καὶ ἐσπείσαντο, καὶ ἐπαιάνισαν, ἔρχεταί τις αὐτοῖς ἐπὶ ΚΩΜΟΝ Συρακόσιος ἄνθρωπος, ἔχων τε αὐλητρίδα ἀγαθὴν, καὶ ὀρχηστρίδα, τῶν τὰ θαύματα δυναμένων ποιεῖν, καὶ πάνυ γε ὡραῖον, καὶ πάνυ καλῶς κιθαρίζοντα καὶ ὀρχούμενον. i. e. *Poſtquam menſae primae ſublatae erant, libarantque diis, et hymnos cecinerant, Syracuſanus quidam ad* COMISSATIONEM

NEM *uenit, qui secum et tibicinam egregiam, et saltatricem, ex earum numero, quae mira quaedam efficiunt, itemque puerum perquam formosum, et admodum belle canentem cithara, et saltantem, habebat.* Neque enim et Graecis inusitata fuit *mensa secunda;* de qua ATHENAEVS, *lib.* XV, *cap.* X: Ἡ δὲ τῶν στεφάνων καὶ μύρων πρότερον εἴσοδος εἰς συμπόσια ἠγεῖτο τῆς δευτέρας τραπέζης, ὡς παρίστησι Νικόστρατος· Καὶ σὺ τὴν δευτέραν τράπεζαν εὐπρεπῆ ποίει, κόσμησον αὐτὴν παντοδαποῖς παγήμασι. μῦρον, στέφανος, λιβανωτὸν, αὐλητρίδα, λάβε. i. e. *Coronarum autem et unguentorum missus secundae mensae praeibat, ut Nicostratus declarat: Ac tu quidem concinne secundam mensam appara, eamque omnifariis adorna bellariis: Vnguenta, coronas, tus, tibicinam, accipe.*

De libatione diis facta inter pocula.

V. Etiam inter pocula diis libari consueuisse, uel VIRGILII, et XENOPHONTIS, testimonia, proxime excitata, declarant. SERVIVS, ad locum VIRGILII, *lib.* I *Aen. u.* 734: *Apud Romanos etiam, coena edita, sublatisque mensis primis, silentium fieri solebat, quoad ea, quae de coena libata fuerant, ad focum ferrentur, et in ignem darentur, ac puer deos propitios nuntiasset, ut diis honos haberetur, tacendoque res ageretur. — — cum interceßit inter coenandum, Graeci quoque θεῶν παρουσίαν uocant.* Corruptum hunc Seruii locum sanare conati sunt, HENR. VALESIVS, ad AMM. MARCELLINVM, *pag.* 114; et GISB. CVPERVS, *lib.* II *Obseruat. cap.* I, quorum uero remedium uulneri non sufficere uidetur. Recte uero ibi obseruauit CVPERVS, ueteres putasse, deos interesse epulis, eosque a conuiuis praesentes optari et inuocari consueuisse; ut in illo: *Bacche ueni!* et, *Adsit laetitiae Bacchus dator, et bona Iuno!* Libatio igitur conuiuantium et compotantium duplex erat: una, dum dapum partem decerptam in focum iniecere, diisque suis consecrauere; altera, cum in honorem alicuius dei, maxime Bacchi, Veneris, Boni Genii, et aliorum, aliquid uini de patera in mensam, aut terram, funderent, eosque ipsos deos precibus et hymnis inuocarent. VIRGILIVS, *lib.* VIII *Aen. u.* 279: *in mensam laeti libant, diuosque precantur.* LIVIVS, *lib.* XXXVIIII, *cap.* 43: *Facinus sacuum atque atrox: inter pocula atque epulas, ubi libare diis dapes, ubi bene*

bene precari, mos esset, ad spectaculum scorti procacis, in sinu consulis recubantis, mactatam humanam uictimam esse, et cruore mensam respersam. Huiusmodi autem libationi tibicen, uel tibicina, interesse solebat. PLVTARCHO enim teste, *lib.* VII *Sympos. Probl.* VIII, *pag.* 712, tibiam, ne si uellent quidem, a mensa arcere licebat : nam libationes eam exigebant, una cum corona, et ubi paeani accinens diuinum cultum absoluit, suaui cantu desinens per aures transiit. Innumeris uero ueterum scriptorum testimoniis illa libatio comprobatur. Apud PLVTARCHVM, in *Symposio* VII *Sapientum, pag.* 150, haec legimus: Ἐπεὶ δ' ἐπήρθησαν αἱ τράπεζαι, καὶ στεφάνων παρὰ τῆς Μελίσσης διαδοθέντων, ἠμεῖς μὲν ἐσπείσαμεν, ἡ δὲ αὐλητρὶς ἐπιφθεγξαμένη μικρὰ τοῖς σπονδαῖς ἐκ μέσε μετέση. i. e. *Sublatis mensis, sertisque a Melissa distributis, nos quidem libauimus, et tibicina, cum paullulum ad uota nostra cecinisset, e medio abiit.* ATHENAEVS, *lib.* X, *pag.* 423, ait: Τοῖς οὖν θεοῖς εὐχόμενοι κεραννύωμεν, εἴτε Διόνυσος, εἴθ' Ἥφαιστος, εἴθ' ὅς τις θεῶν τάυτην τὴν τιμὴν εἴληχεν. i. e. *Postquam igitur deos precati sumus, uinum infundamus; seu Bacchus, seu Vulcanus, seu quis alius hunc sortitus est honorem.* Atque idem eodem loco hos uersus ex Antiphane, comico, affert: Πίσω κυάθους θεῶν τε καὶ θεαινῶν μυρίους, εἶτ' ἐπὶ τούτοις πᾶσι τῆς σεμνῆς θεᾶς, καὶ τὸ γλυκυτάτε βασιλέως διμοιρίαν. Ἐμοὶ δέν, ὦ παῖ, ζωρότερον κέρασιρε. i. e. *Bibam cyathos deorum dearumque mille decies, Post eos deinde omnes deae uenerandae, ac dulcissimi Regis duplum. Meracius ergo mihi, o Puer, infunde!* Idem ATHENAEVS, *lib.* XV, *pag.* 675: Οἱ Ἕλληνες τῷ μὲν παρὰ δεῖπνον ἀκράτῳ προεδιδομένῳ, τὸν ἀγαθὸν ἐπιφωνοῦσι δαίμονα, τιμῶντες τὸν εὑρόντα δαίμονα. ἦν δ' ὗτος ὁ Διόνυσος. Τῷ δὲ μετὰ δεῖπνον κεραμένῳ πρώτῳ προεδιδομένῳ ποτηρίῳ Δία Σωτῆρα ἐπιλέγυσι. i. e. *Graeci, cum temetum inter coenandum infertur mensae, elato clamore bonum Genium inuocant, illum uenerantes, qui reperit; fuit autem is Bacchus. Post coenam uero, cum primum aqua temperatum poculum ministratur, Iouem Seruatorem acclamant.* Maxime uero celebrantur quatuor illa pocula conuiuantibus olim usitata;

ta: nempe *poculum Iouis Seruatoris*, *poculum Salutis*, *poculum Boni Daemonis*, seu *Fortunae*, et *poculum Mercurii*; quae commemorantur a POLLVCE, SVIDA, et aliis. Ceterum ex hoc cultu deorum usu uenit, ut etiam deorum statuae aliquando in conuiuiis fuerint positae, ut scilicet inuocati ante, per suas statuas praesentes esse uiderentur. Id apud Romanos factum esse in Iouis epulo, quod Diale uocarunt, CVPERVS, l. c. probauit e VALERIO MAXIMO, *lib.* II sub initium: *Feminae cum uiris cubantibus sedentes coenitabant; quae consuetudo ex hominum conuictu ad diuina penetrauit: nam Iouis epulo ipse in lectulum, Iuno et Minerua in sellas, ad coenam inuitantur. Quod genus seueritatis aetas nostra diligentius in Capitolio, quam in suis domibus, seruat.* Neque uero solum libabant diis inter pocula; sed et eorum laudes cantabant. PLVTARCHVS, *lib.* I *Sympos. Probl.* I, *pag.* 615: πρῶτον μὲν ᾠδὴν ᾠδὴν τῷ θεῷ κοινῶς ἅπαντες, μιᾷ φωνῇ παιανίζοντες, δευτέραν δὲ ἐφεξῆς ἑκάστῳ μυρσίνης παραδιδομένης. i. e. *Primum quidem oden et paeanem cantabant deo una omnes uoce, laudes ipsius celebrando; deinde unusquisque aliam cantilenam, accepta myrto.* Ista uero consuetudo deorum inter pocula colendorum, (ut hoc obiter moneam,) longe lateque increbuit, et apud uarios populos inualuit; atque apud nostros quoque maiores, cum nondum ueri DEI cognitione imbuti essent, uiguit. Quod uberius ostendit IO. GE. KEYSLERVS, in *antiquitatibus Septentrionalibus et Celticis*, et sigillatim in *disquisitione de compotationibus sacris maiorum nostrorum*, *p.* 351: *Tum in Odini, s. VVodini, memoriam primo euacuandus scyphus, pro Regis incremento et felicitate perpetua. Inde in Niardi et Frei honorem pro annona felici, pacatisque temporibus. Frequenti etiam aliis in usu erat, proxime his Scyphum (in honorem heroum uirorumque insignium) Bragafull propinare. Nec amicorum memorias propinato Scypho negligere decorum fuit, eorum praecipue, qui in collibus olim tumulati fuerant, dictaque fuit haec ceremonia uocabulo peculiari Minne.*

VI.

VI. Quid mirum, etiam apud Graecos Romanosque Principibus et Regibus, Heroibusque, honorem habitum esse inter pocula, eorumque laudes identidem a compotantibus fuisse decantatas? Qua de re ATHENAEVS, *lib.* XI, hos affert uersus: *De honore Principibus et Regibus, Heroibusque, inter pocula habito.*

Χρὴ δὲ πρῶτον μὲν θεὸν ὑμνεῖν εὐφρονας ἄνδρας,
Εὐφήμοις μύθοις, καὶ καθαροῖσι λόγοις.
Ἀνδρῶν δ' (αἰνεῖν) τοῦτον ὃς ἐσθλὰ πιὼν ἀναφαίνει,
Ὡς ἡ μνημοσύνη καὶ τὸν ὃς ἀμφ' ἀρετῆς.

i. e. *Est autem hymnis laudandus Deus primum sapientibus uiris*
Faustis uerbis, puroque sermone.
Ex hominibus illum celebres, qui praeclara quaeuis designat,
Vt, quae memoriae traduntur, uirtutem foueant.

Idem, *lib.* XV, perstringit foedam quorundam adulationem, qui, cum singulos cyathos singulis diis libarint, effuderint duos cyathos in honorem Regis. Apud LVCIANVM, in *Cataplo, pag.* 430, Tyrannus quidam haec de se narrat: Σπένδοντες ἐν τοῖς συμποσίοις μεγάλῃ τῇ φωνῇ ἐπήυχοντό μοι πολλὰ, καὶ ἀγαθὰ, προαποθανεῖν ἕκαστος αὐτῶν ἕτοιμος, εἰ οἷόν τε εἶναι. καὶ ὅλως, ὅρκος αὐτοῖς ἦν ἐγώ. i. e. *Cum in conuiuiis libarent, magna uoce multa mihi bona precabantur, parati singuli pro me mori, si fieri posset. in summa, per me iurabant.* Sic et ipse Traianus, et Alexander Seuerus, Imperatores Romanorum, post secundam mensam, in honorem Alexandri Magni poculum amicis exhibuerunt. LAMPRIDIVS enim, in *Alexandro Seuero, cap.* XXXVIIII, haec tradit: *Cum amicos militares habuisset, ut usum Traiani, quem ille post secundam mensam potandi usque ad quinque pocula instituerat, reseruaret, unum tantum poculum amicis exhibebat, in honorem Alexandri Magni; id autem breuius, nisi si quis, quod licebat, maius habere postulasset.* MACROBIVS, *lib.* II *Saturnal. cap.* I: *Tunc non defuit in conuiuio Agathonis, qui Psaltriam intromitti peteret, ut puella ex industria supra naturam mollior canora dulcedine, et saltationis lubrico, exerceret illecebris philosophantes. Illic hoc fieri tentatum est, ut Agathonis uictoria celebraretur.* Quoniam uero non raro laudes heroum et fortium uirorum a comissan-

tibus cantari solebant; euenit, ut Graece κῶμος etiam de quauis praedicatione et elogio diceretur. Apud PINDARVM, κῶμον identidem significare ἐγκώμιον, non cantilenam scurrilem, et iocosam, obseruauit ERASM. SCHMIDIVS, ad *Pindar.* ΟΛΥΜΠ. H, 13.: Ἀλλ', ὦ Πίσας ἔυδενδρον ἐπ' Ἀλφείῳ ἄλσος τόνδε κῶμον καὶ στεφανοφορίαν δέξαι. i. e. *Sed, o Pisae arborosum ad Alpheum nemus, huncce hymnum*, siue hoc elogium, *et coronae gestationem, accipe.* Sic apud eundem PINDARVM, NEMEΩN H, in fine, κωμάζειν aliquando generatim est *laudare, celebrare.* Nihil iam dico, comissantes etiam nomina amicorum amicarumque, in quorum quarumque gratiam biberent, inter pocula commemorare consueuisse; utpote qui ritus fere omnibus etiam uulgaribus compotationibus fuit communis.

Sigillatim de honore libationis Augusto Imp. decreto, et cultu diuino inter pocula ipsi praestito.

VII. Illud adhuc commemoratione dignum est, quod relatum legimus apud DIONEM CASSIVM, *lib.* LI, *pag.* 457, de Octauiano Augusto, Romanorum Imperatore, iam post Actiacam pugnam Senatum Populumque Romanum iussisse, τούς τε ἱερέας, καὶ τὰς ἱερείας ἐν ταῖς ὑπέρ τε τοῦ δήμου καὶ τῆς βουλῆς εὐχαῖς, καὶ ὑπὲρ ἐκείνου (Αὐγούστου) ὁμοίως εὔχεσθαι, καὶ ἐν τοῖς συσσιτίοις, οὐχ ὅτι τοῖς κοινοῖς, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἰδίοις, πάντας αὐτῷ σπένδειν, -- ἔς τε τοὺς ὕμνους αὐτὸν ἐξ ἴσου τοῖς θεοῖς ἐγγράφεσθαι. i. e. *Vt sacerdotes, as sacrae feminae, cum pro S. P. Q. R. uota conciperent, pro ipso quoque Augusto uota facerent: utque in sympositis, non modo publicis, sed priuatis quoque, ei libaretur, — item et in hymnis ipse iuxta adscriberetur diis immortalibus.* Ad hoc decretum, huncque morem, utique respexit HORATIVS, *lib.* III, *Ode* V, cum Augustum hortaretur, ut rediret in Vrbem:

Condit quisque diem collibus in suis,
Et uitem uiduas ducit ad arbores:
Hinc ad uina redit laetus, et ALTERIS
Te MENSIS *adhibet* DEVM.
Te multa prece, te prosequitur mero,
Defuso pateris; et LARIBVS TVVM
MISCET NVMEN, *uti Graecia Castoris*
Et magni memor Herculis.

In-

Intelligimus, in his Poetae uerbis commemorari *alteras*, i. e. *secundas*, *mensas*, in quibus plerumque compotationes et comissationes instituebantur. Animaduertimus, Augustum consueuisse inuocari ad has mensas, tanquam Deum, eique tanquam deo libationem factam, mero pateris defuso. Immo obseruamus, et eius nomen, in hymnis, aliorum deorum tutelarium nominibus adscriptum esse; quae ultima Horatii uerba sic recte ordinat DACIER: Quisque in hymnis miscet numen tuum Laribus, uti *Graecia memor (beneficiorum) miscet diis nomen Castoris et Herculis, tanquam deorum tutelarium.* Quin idem eruditus Gallus probabiliter coniecit, in ultima huius Odae Horatianae strophe contineri particulam eiusmodi hymni, in Augusti honorem laudemque cantati:

LONGAS O VTINAM, DVX BONE, FERIAS
PRAESTES HESPERIAE! *Dicimus integro*
Sicci mane die, dicimus uuidi,
Cum Sol Oceano subest.

Homines uero *uuidi*, nocturno tempore, *cum Sol Oceano subest*, recte dici possunt *comissatores.* Quis denique dubitet, quin etiam alii Imperatores, in primis qui uiui iam diuinitatem deique nomen affectarunt, eiusmodi libationis honorem, diuinumque inter pocula cultum, ab adulantibus Romanis receperint, libenterque admiserint?

VIII. Iam, si porro consideremus eos, qui *comissari* consueuerint, inuenimus etiam *ipsos deos* paganorum aliquando appellari κωμαστὰς, *comissatores:* quia nempe, ut paullo ante ostendi, *aduocari* consueuerunt *comissationibus*, et iis interesse, iisdemque oblectari, putabantur, et a comissantibus colebantur. Immo haud scio, an crediti sint etiam fumo dapum consecratarum, et uino libato, frui? Certe AMBROSIVS *lib.* IIII *aduersus gentes*, *pag.* 178, paganorum cultum diuinum irridens: *Scribuntur*, inquit, *dii uestri in tricliniis coelestibus, atque in Chalcidicis aureis coenitare, potare, et ad ultimum fidibus ac uocum modulatione mulceri.* Sic uero ARISTOPHANI, Νεφέλ. ϛ. 606, dicitur

Quae personae comissari consueuerint?

κωμαστὴς Διόνυσος, *comissator Bacchus.* Similiter MARTIALIS, *lib.* V, *epigr.* 6:

Atque oluere Lares, COMISSATORE LYAEO,
Creuit et effuso laetior umbra mero. etc.

HORATIVS, *lib.* IIII, *Od.* I, *Venerem* monuit, ut in domo Paulli Maximi *comissaretur*; ubi plurima duceret naribus, lyraque, et tibia, delectaretur, et ubi in honorem eius pueri uirginesque hymnos canerent, saltarentque. Nescio igitur, quamuis haud ignorem, in pompa Bacchica praecipue homines quosdam sub persona deorum dearumque processisse, an TANAQ. FABER satis caussae habuerit, cur in *Ode* VI ANACREONTIS, sub nominibus *Cupidinis*, *Bacchi* et *Cytherae*, non nisi adolescentes cum puella personatos intellexerit, qui cantando et saltando ad personatum deum Κῶμον iuerint, ut ipsum ad comissationem inuitarent. Ita uero cecinit ANACREON:

Ὁ δ' Ἔρως ὁ Χρυσοχαίτας,	i. e. *Ipse demum Amor auricomus,*
Μετὰ τᾶ καλᾶ Λυαίω,	*Vna cum pulchro Lyaeo,*
Καὶ τᾶς καλᾶς Κυθήρης,	*Vna cum pulchra Venere,*
Τὸν ἐπήρατον γεραιοῖς	*Pergratam senibus*
Κῶμον μέτεισι χαίρων.	*Comissationem ingreditur laetus,*

PLINIO, *lib.* XXXV, *cap.* 36, referente, *Philoxenus Eretrius pinxit lasciuiam, in qua tres Sileni comissantur.* Sileni uero dicebantur ministri Bacchi. Immo et PLVTARCHVS, in *Sympos.* VII *sapientum, pag.* 150, facete *sceleton* appellauit *comissatorem*, dum narrat, ab Aegyptiis in conuiuiis etiam *sceleton*, (cadauer hominis exsiccatum,) circumferri consueuisse, καίπερ ἄχαρις καὶ ἄωρος ἐπίκωμος, i. e. *quamuis ingratus et intempestiuus comissator*, qui suum tamen habuerit locum, non ad potum et uoluptates, sed ut conuiuas ad mutuum amorem cohortaretur. Ita Syrus Terentianus, *Adelph.* V, II, 8, Demeam irrumpentem in aedes Micionis, et filio cum sodalibus comissanti superuenientem uocat *comissatorem haud sane commodum, praesertim Ctesiphoni.* Vbi notat DONATVS, Demeam inopinatum superuenisse, ut omnia sic offenderet, quemadmodum qui comissatum ingreditur:

quia

quia *comissatoris* sit *superuenire ad scortum, et uociferari aliquid in iocularem strepitum.* Porro MARTIALIS, *lib.* V, *epigr.* XVI, libellum suum, quoniam aptus esset comissationibus, et de argumentis hilaritati et mensae secundae congruentibus ageret, eleganter appellauit *conuiuam comissatoremque:*

At nunc conuiua est comissatorque libellus,
Et tantum gratis pagina nostra placet.

Sed ipsi quoque *Reges Principes*que haud raro *comissati esse* dicuntur. PLVTARCHVS, in *uita Alexandri Magni, pag.* 702: Ἐξώρμησεν κώμῳ χρώμενος ἐφ' ἡμέρας ἑπτὰ διὰ τῆς Καρμανίας. i. e. *Incessit Alexander M. comissabundus diebus septem per Carmaniam.* Scilicet illum equi octo uehebant cum amicis, conuiuia noctes diesque continuantem. Aliis curribus alii amici et duces eius coronati potantesque uehebantur: milites toto itinere ex grandibus doliis et crateris haurientes praebiberunt inter se; circumsonuere omnia loca fistulis, tibiis, carminibus, cantilenis, et bacchabundis mulieribus. Haud secus CVRTIVS, *lib.* VIII, *cap.* 10, pulchre exposuit, quemadmodum Alexander M. per Indiam temulento agmine *comissabundus* incesserit. Quin idem Rex tandem etiam in comissatione fatum suum inuenit. Teste enim IVSTINO, *lib.* XII, *cap.* 13, *Reuersus Babyloniam, multis diebus otio datis, intermissum olim conuiuium solenniter instituit, totusque in laetitiam effusus, cum diei noctem peruigilem iunxisset, recedentem iam e conuiuio Medicus Thessalus, instaurata* COMISSATIONE, *et ipsum, et sodales eius, inuitat. Accepto poculo, media potione repente ueluti telo confixus ingemuit.* etc. De quibusdam *Imperatoribus comissantibus* iam supra dixi. u. g. de *Vitellio*, ex SVETONIO, *cap.* XIII; de *Tito*, *cap.* VII. Idem SVETONIVS, de *Caio Caligula*, *cap.* XXXII: *Saepe in conspectu prandentis, uel comissantis, seriae quaestiones per tormenta habebantur.* Et cap. LV: *Agitatori Cythico*, COMISSATIONE *quadam*, *in apophoretis uicies* HS. (h. e. interpretante Glareano, quinquaginta millia coronatorum,) *contulit.* De eodem, SENECA, *lib.* I *de ira*, *cap.* 16: *C. Caesar, iratus coelo, quod* COMISSATIO *sua terreretur fulminibus.*

Sed et de *Othone* haec leguntur apud TACITVM, *lib.* I *Hiſt. cap.* 30: *Stupra nunc, et comiſſationes, et feminarum coetus uoluit animo.* Ceterum tam lautioris, quam inferioris ſortis homines, tam diuites, quam pauperes, quique pro modulo ſuo, *comiſſari* ſoliti ſunt. Apud Graecos tamen et Romanos, maxime *iuuenibus* in more erat *comiſſari.* Vnde CICERO, *lib.* I *ad Attic. epiſt.* XVI: *Noſtri iſti comiſſatores coniurationis, barbatuli iuuenes, illum* (Pompeium) *in ſermonibus Cn. Ciceronem appellant.* PLINIVS, *lib.* XXI *Hiſt. nat. cap.* III: *Athenis iuuenes comiſſabundi ante meridiem conuentus ſapientum frequentabant.* HESIODVS, in *Scuto Herculis, u.* 281: ἔνθεν δ' αὖθ' ἑτέρωθεν νέοι κώμαζον ὑπ' αὐλῷ i. e. *Inde rurſum ex alia parte iuuenes comiſſabantur ad fiſtulam.* Sed et *ſenibus* gratum fuiſſe κῶμον, indicat ANACREON, *Ode* VI modo excitata. Quid dicam de *uiris* luxui comiſſantium deditis, quorum exempla abunde conſtant? Apud Romanos quidem mulieres honeſtae identidem ad conuiuia admittebantur; quod docet CORNEL. NEPOS, in *praefat.* ubi ait: *Quem Romanorum pudet uxorem ducere in conuiuium?* Huic rei exemplo ſit locus apud CICERONEM *lib.* V, *ad Attic. epiſt.* I: *Sed prandimus in Arcano, noſti hunc fundum. Quo ut uenimus, humaniſſime Quinctus: Pomponia, inquit, tu inuita mulieres; ego uiros acciuero. At illa, audientibus nobis: ego ſum, inquit, hic hoſpita. — Diſcubuimus omnes, praeter illam; cui tamen Quinctus de menſa miſit.* Sic et apud TACITVM, *lib.* XI *Annal. cap.* 2, Claudius Caeſar dicitur *epulantem apud ſe maritum Poppaeae, Scipionem, percunctatus eſſe, cur ſine uxore diſcubuiſſet?* Vnde cognoſcas, uxores apud Romanos uulgo adhiberi ſolitas ad conuiuia. Innuptas tamen cumprimis uirgines iidem Romani a conuiuiis amouebant; quod haec VARRONIS uerba, apud NONIVM MARCELLVM, *cap.* IIII, *n.* 41, declarant: *Virgo de conuiuio abdicatur ideo, quod maiores noſtri uirginis acerbae aures Veneris uocabulis imbui noluerunt.* Contra uero, teſte eodem NEPOTE, *in Graecia uxor non in conuiuium adhibebatur, niſi propinquorum.* Quanquam CASAVBONVS, ad *libr.* VIII ATHENAEI, *cap.* 9, obſeruarit, in promtu eſſe

esse scriptorum Graecorum testimonia, quae contrarium saepissime factum arguant. CICERO tamen, *libro* II *in Verrem, cap.* 26, commemorat etiam conuiuium Lampsaci habitum, cui interfuerit Verres, quodque prope a comissatione abfuisse uidetur. *Discumbitur*, inquit: *fit sermo inter eos, et inuitatio, ut Graeco more biberetur. hortatus hospes: poscunt maioribus poculis, celebratur omnium sermone laetitiaque conuiuium. Posteaquam satis calere res Rubrio uisa est: Quaeso, inquit, Philodame, cur ad nos filiam tuam non intro uocari iubes? — Tum ille, ut aliquid responderet, negauit, moris esse Graecorum, ut in conuiuio uirorum accumberent mulieres.* Sic et VITRVVIVS, *lib.* VI, *cap.* X: *Graeci ἀνδρῶνας appellant oecos, ubi conuiuia uirilia solent esse, quod eo mulieres non accedant.* Vtcunque est, id tamen uerisimillimum puto, graues matronas utrobique, apud Graecos pariter atque Romanos, se abstinuisse a *comissatione* proprie dicta. De Graecis, pertinent huc uerba ISAEI, in *oratione* II, *qua de Pyrrhi cuiusdam hereditate contenditur*: Καί τοι ἐδήπουθέ ἐπὶ γαμετὰς γυναῖκας ἂν δεῖς ἂν κωμάζειν τολμήσειεν, οὐδὲ αἱ γαμεταὶ γυναῖκες ἔρχονται μετὰ τῶν ἀνδρῶν ἐπὶ τὰ δεῖπνα, οὐδὲ συνδειπνεῖν ἄξιόν μετὰ τῶν ἀλλοτρίων, καὶ ταῦτα μετὰ τῶν ἐπιτυχόντων. i. e. *Et uero non sane quisquam ad nuptas mulieres comissatum ire audeat; neque nuptae mulieres eunt cum uiris ad conuiuia: neque aequum censent, conuiuari cum alienis, praesertim cum quibuslibet.* Inueniuntur tamen alibi magnae fortunae feminae, quae *comissando* famam suam commaculârunt. Sic PLVTARCHVS, in *uita M. Antonii, pag.* 927, eleganter describit, quemadmodum *Cleopatra*, Regina Aegyptiorum, quasi ornatu et comitatu Veneris usa, profecta sit in Ciliciam *comissatum* ad Antonium, uelut ad Bacchum; cuius rei narrationem ita ibidem concludit PLVTARCHVS: Καί τις λόγος ἐχώρει διὰ πάντων, ὡς ἡ Ἀφροδίτη κωμάζοι παρὰ τὸν Διόνυσον ἐπ' ἀγαθῷ τῆς Ἀσίας. i. e. interprete DACIERIO, in *notis ad Horat. lib.* IIII, *od.* 4: *De tout côté il se repandoit un bruit, que c'etoit Venus, qui venoit en masque chez Bacchus, pour le bien de l'Asie.* h. e. *Ex omni parte illius*

illius regionis manauit rumor, Venerem (perſonatam) *ad ſalutem Aſiae ueniſſe ad Bacchum comiſſatum.* Nos fortaſſe diceremus: *Es breitete ſich ein Gerüchte aus, daſs die Venus zum Baccho ſey auff die Courtoiſie gekommen.* Foediores adhuc *comiſſationes* narrantur Iuliae, filiae Auguſti, quarum meminit SENECA, *lib.* VI *de Beneficiis, cap.* 32: *Diuus Auguſtus filiam intra pudicitiae maledictum impudicam relegauit, et flagitia principalis domus in publicum emiſit: admiſſos gregatim adulteros, pererratam* NOCTVRNIS COMISSATIONIBVS *ciuitatem, forum ipſum, ac roſtra, ex quibus Pater legem de adulteris tulerat, filiae in ſtupra placuiſſe, quotidianum ad Marſyam concurſum.* Alias ſtatuam Marſyae, qui dicitur fuiſſe miniſter Liberi Patris, in foro poſitam, uictores, item et qui cauſſas tenuiſſent, coronare ſolebant: at Iuliam aliasque meretrices, libidinum coronas, ad pugnarum Venerearum numeros, iſti ſtatuae impoſuiſſe, innuit PLINIVS, *lib.* XXI *Hiſt. nat. cap.* 3; et LIPSIVS, *lib.* III *de antiq. Lect. pag.* 120. Ceterum, de cantatricibus, pſaltriis et ſaltatricibus, aliisque puellis, quae comiſſationibus intereſſe ſolitae ſunt, paſſim conſtat, neque nulla harum exempla in his ſchedis occurrunt.

Quid generatim dicatur COMISSATIO.

VIIII. Difficile foret, omnes *comiſſantium* ritus ſpeciatim definire. Generatim *comiſſatio* dicebatur *ſympoſium, ſiue conuiuium nocturnum.* LAMBERTVS BOS, in *exercitationibus philologicis, pag.* 118, ita expreſſius deſcribit: *Eſt conuiuium laſciuum, et immoderatum, in quo ioci impudici, cantilenae foedae, et ſaltationes ab honeſtate remotae, obtinebant, ita ut noctu ebrii, coronis redimiti, cum facibus, armis, muſicisque inſtrumentis, ad amicarum amicorumque fores ſaltandi cantandique gratia concurrerent, procaciterque laſciuirent, et non nunquam fores effringerent, in aedesque irrumperent.* Pro diuerſa uero ſorte et conditione, itemque libidine perſonarum comiſſantium, diuerſa etiam uoluptatis luxusque genera in iis obſerues. Sic legimus, quasdam comiſſationes prodigioſo luxu ſumtuque eſſe inſtitutas; quales fuere M. Apicii, illius *altiſſimi*, ut Plinio uocatur, *nepotum omnium Gurgitis*, quarum mentionem fecit SENECA, in *libro de conſolat.*

De comiſſationibus prodigioſi ſumtus.

ad

ad Helaiam, *cap.* X. *Apicius*, inquit, *noſtra memoria uixit, qui in ea urbe, ex qua aliquando philoſophi, uelut corruptores iuuentutis, abire iuſſi ſunt, ſcientiam popinae profeſſus, diſciplina ſua ſaeculum infecit. Cum ſeſtertium millies in culinam congeſſiſſet, cum tot congiaria Principum, et ingens Capitolii uectigal, ſingulis* COMISSATIONIBVS *exſorbuiſſet, aere alieno oppreſſus, rationes ſuas tunc primum coactus inſpexit, ſuperfuturum ſibi ſeſtertium centies computauit, et, uelut in ultima fame uicturus, ſi ſeſtertio centies uixiſſet, ueneno uitam finiuit. Quanta luxuria eſt, cui ſeſtertium centies egeſtas fuit!* Quid uero non pretioſum et luxurioſum de his *Apicianis comiſſationibus* cogitari poteſt? Sed erant etiam, ut fieri ſolet, cum mediocris, tum paupertinae ſortis comiſſationes, in quibus nihilominus communia comiſſantium uitia animaduertas. Sic PLAVTVS, in *Sticho*, *Act.* V Sc. II, usque ad VII, inducit *homines ſeruulos*, ex indulgentia herorum ſuorum, more Athenienſium, *comiſſantes*, i. e. ad coenam ſymbolis collatis condicentes, lauantes, potantes, amantes, atque ſaltantes, Vbi quidem unus ex ſeruis, Sagarinus: *Quisquis praetereat, comiſſatum uolo uocari.* Stichus uero: *Nosmet inter nos miniſtremus. Hoc conuiuium eſt pro opibus noſtris ſatis commodule, nucibus, fabulis, ficulis, olea in tryblio, lupilli comminuto cruſtulo. Sat eſt. — Quibus diuitiae domi ſunt, ſcaphio, et cantharis, batiolis, bibunt; at nos noſtro Samiolo poterio tamen uiuimus.* Interim et tunc unus *ſtrategus*, ſiue *ſympoſiarchus* conſtitutus eſt huic comiſſationi, et more Graeco ad numerum cyathorum bibitum eſt, atque alter alteri propinauit, concinentes: *Bene uos! Bene nos! Bene te, bene me, bene noſtram Stephanium!* Affuit et *tibicen*, qui daret modum, et lepidas cantationes inciperet. Euocata etiam *amica* eſt, quae accumberet, ſaltaret, laſciuiret. Quam tandem comiſſationem his uerbis finierunt: *Intro hinc abeamus; nunc iam ſaltatum ſatis pro uino eſt. Vos ſpectatores, plaudite, atque ite ad uos comiſſatum!* Lautioris uero comiſſationis exemplum ſuggerit PETRONIVS, *cap.* LXV; quem uide. Ita uero, ſi haec omnia colli-

De paupertinis comiſſationibus.

Lautioris commiſſationis exemplum.

colligamus, facile intelligimus, omnibus comissationibus quasi propria fuisse uitia, *ebrietatem*, *lasciuiam*, aut aliquando *rixas turbasque:* de quibus nunc sigillatim agam.

De ebrietate comissantium.

X. EBRIETAS quidem ita plerumque propria fuit comissationi, ut istae uoces κῶμος et μέθη, non solum saepius coniungantur, sed etiam, annotante SVIDA, Κῶμος aliquando pro μέθη ponatur. Sigillatim autem obseruo, eos potissimum κωμαστὰς, et Latine *comissatores*, appellari consueuisse, qui iam bene poti, aut aliorum conuiuiorum compotationumque pertaesi, maioris quaerendae hilaritatis et explendae libidinis caussa, comissatum ad alia uenerunt conuiuia. Sic apud PLAVTVM, in *Mostellaria*, *Act.* I *Sc.* IIII, Callidamates cum Delphio, amica sua, incedens, et bene madens: *Illic*, inquit, *ubi fui, inde effugi foras. Ita me ibi male conuiuii sermonisque taesum est; nunc comissatum ibo ad Philolachetem, ubi nos hilari ingenio et lepide accipiet.* Et Philolaches quidem bene accepit hominem iam ebrium, iussitque accubare, et dari a Delphio cito cantharum circum; quanquam Callidamates interea prae ebrietate aliquandiu ibi dormitarit. PETRONIVS etiam, ubi Trimalchionis lautiorem coenam descripserat, tandem, *cap.* LXV, narrat, inter haec lictorem triclinii ualuas percussisse, amictumqueueste alba, cum ingenti frequentia *comissatorum* intrasse, Habinnam nempe, Seuirum illius coloniae, qui ex Scissae coena iam ebrius uenerat. *Ille autem*, inquit, *iam ebrius, uxoris suae humeris imposuerat manus, oneratusque aliquot coronis, et unguento per frontem in oculos fluente, praetorio loco se posuit, continuoque uinum et caldam popposcit. Delectatus hac Trimalchio hilaritate, et ipse capaciorem popposcit scyphum. &c.* Talem *ebrii comissatoris* imaginem repraesentauit etiam Alcibiades, apud PLATONEM, in *Symposio*, *pag.* 212 *edit. Serr.* Ibi enim narrat PLATO, cum conuiuati essent Apollodorus, Glauco, Aristodemus, Socrates, Phaedrus, aliique uiri sapientes, fuisse extra aedes auditam uocem κωμαστῶν, *comissantium*, ac demum Alcibiadem iam ualde ebrium accessisse. Ait enim, ἐξαίφνης ἦν ἄυλειον θύραν κρο-

κρατυμένην πολὺν ψόφον παρασχεῖν, ὡς κωμασῶν καὶ αὐλητρίδος φωνὴν ἀκούειν. i. e. *confestim uestibuli ostium, quod pulsaretur, magnum sonitum edidisse, et comissantium tibicinaeque uocem esse auditam.* καὶ ὁ πολὺ ὕστερον Ἀλκιβιάδου ἣν φωνὴν ἀκούειν ἐν τῇ αὐλῇ σφόδρα μεθύοντος, καὶ μέγα βοῶντος, καὶ ἐρωτῶντος, ὅπου Ἀγάθων; i. e. *nec ita diu post auditam esse Alcibiadis uocem uehementer ebrii, et in aula clamantis magna uoce, et quaerentis, ubi nam esset Agatho?* Illum igitur, ait PLATO, a tibicina, aliisque assectis, ductum, tandem ad coenaculi fores adstitisse, corona quadam ex hedera et uiolis confertim compacta redimitum, uittisque multis circumdatum; tum dixisse: Ἄνδρες χαίρετε! μεθύοντα ἄνδρα πάνυ σφόδρα δέξασθε συμπότην. — Ἄρχοντα ὑμῖν αἱρήσομαι τῆς πόσεως, ἕως ἂν ὑμεῖς ἱκανῶς πίητε, ἐμαυτόν. Ἀλλὰ φερέτω, Ἀγάθων, ἔστι ἐσὶν, ἔκπωμα μέγα. i. e. *Saluete, uiri! Ebrium ualde hominem compotatorem suscipite. — Ego me uobis principem compotationis, donec satis biberitis, exhibeo. Iube mihi, Agatho, poculum, si quod magnum adsit, huc afferendum.* Reliqua in ipso PLATONIS *Dialogo* legas. Similia refert PLVTARCHVS, in *Alcibiade*, *pag.* 1937, cum Anytus hospites non nullos inuitasset, uocatum quoque Alcibiadem esse ad coenam; sed hunc uenire abnuisse. Μεθυσθεὶς δ' οἴκοι μετὰ τῶν ἑταίρων, ἐπώμασε πρὸς τὸν Ἄνυτον, καὶ ταῖς θυραῖς ἐπισὰς τοῦ ἀνδρῶνος, καὶ θεασάμενος ἀργυρῶν ἐκπωμάτων καὶ χρυσῶν πληρεισὰς τραπέζας, ἐκέλευσε τὸς παῖδας τὰ ἥμισυ λαβόντας ἄγειν πρὸς αὐτόν. i. e. *Domi uero cum sodalibus mersus uino, ad Anytum comissabundus iuit, foribusque triclinii adstans, et contemplatus aureis et argenteis refertas poculis mensas, pueros suos iussit dimidium eorum auferre, ac domum ad se deferre.* Recte igitur scripsit CASAVBONVS, *lib.* 1 *de Satyr. Poesi, cap.* 4, *comissantes* aliquando prodiisse in conuiuali ueste, corollas capiti impositas, colloque appensas, habentes, pueris praecedentibus, qui funalia gestarint, fidicina denique praecinente. id quod ex sequentibus adhuc magis eluceset.

XI. Necuero mirum esse potest, si in LVCIANI *Erotibus*, *pag.* 912, κωμασταὶ exponantur δῆλοι ἐράσαι, *manifesti amatores*; quia

De lasciuia comissantium, comiss. ad ama-

tas puellas euntium, et cantionibus saltationibusque libidinem irritantium.

comissantes non puduit identidem κωμάζειν ἐπὶ τὴν ἀγοράν, καὶ ἐπὶ θύρας τῆς δεῖνος. Si enim, quod TERENTIVS ait, sine *Cerere et Baccho friget Venus*; facile fieri potuit, ut eadem a Cerere et Baccho, h. e. ab epulis et compotatione magis incalescceret, nulla tandem pudoris et uerecundiae ratione habita. Sic PLVTARCHVS, in ἐρωτικῷ, *pag.* 753, de comissatore, amorem profesſo: Τίς οὖν ὁ κωλύων ἐστὶ, κωμάζειν ἐπί θύρας; ᾄδειν τὸ παρακλαυσίθυρον; ἀναδεῖν τὰ εἰκόνια; παγκρατιάζειν πρὸς τὰς ἀντεραστάς; i. e. *Quid uero prohibet, quin comissatum ipse eat ad fores* (amatae puellae;) *cantet carmen*, (quod a fletu ad ianuam uocatur *paraklausithyrum*;) *imagunculas sertis ornet; et omni conatu cum riualibus decertet?* Inde DONATVS, iam supra excitatus ad TERENTII *Adelph.* V, II, 8, annotauit, *comissatoris esse, superuenire ad scortum, et uociferari aliquid in iocularem strepitum.* GELLIVS, *lib.* IIII, *cap.* 14, ex Atei Capitonis libro nono coniectaneorum affert exemplum A. Hostilii Mancini, aedilis curulis, qui ex alio conuiuio uenit, tanquam *comissator*, ad aedes famosae meretricis, non, credo, tam animo ulterius potandi, quam lasciuiendi, et libidinis explendae; quamuis a meretrice lapidibus fuerit depulsus. *Is*, inquit, *Mancinus Mamiliae meretrici diem ad populum dixit, quod de tabulato eius lapide ictus esset, uulnusque ex eo lapide ostendebat. Mamilia ad tribunos plebis prouocauit; apud eos dixit,* COMISSATOREM, *Mancinum, ad aedes suas uenisse; eum sibi fas recipere non fuisse aede sua; sed, cum ui irrumperet, lapidibus depulsum. Tribuni decreuerunt, aedilem ex eo loco iure deiectum, quo eum uenire cum coronario non decuisset.* Atque ita, secundum *Scholiasten Theocriti*, ad III *Idyll.* τὸ κωμάζειν λέγεται ἐπὶ κατὰ νύκτα εἰς τὰς ἐρωμένας ἀπερχμένων. ὡς Ἀριστοφάνης ἐν πλούτῳ· ἔοικε δ' ἐπὶ κῶμον βαδίζειν. Κωμάσδω, ἀπέρχομαι πρὸς τὴν Ἀμαρυλλίδα, ἀποπειρασόμενος αὐτὴν δ' ᾠδῶν καὶ λόγων τῶν ἐπὶ τοῦτο συντεινόντων. i. e. Κωμάζειν, siue *comissari*, *dicitur de iis, qui noctu ad amatas puellas abeunt. Sicut Aristophanes in Pluto: Videtur comissatum ire.* Κωμάσδω. (apud Theocritum, Aeolice pro κωμάζω,) i. e. *eo ad Amaryllidem.*

ryllidem, ſolicitaturus illam cantionibus et ſermonibus ad id inſtigantibus. Quod uero attinet ad locum ARISTOPHANIS, ex eius *Pluto*, *u.* 1041, excitatum, integer is eſt: ἔοικε δ' ἐπὶ κῶμον βαδίζειν. ΧΡ. φαίνεται. στέφανόν γε τοι καὶ δᾷδ' ἔχων πορεύεται. i. e. *Mihi uidetur iturus comiſſatum.* CHR. *Apparet: nam coronam geſtat, et facem.* Vnde liquet, comiſſatum euntes etiam coronas geſtaſſe, et faces. Vt chartae uero parcam, parcius nunc quoque de *ſaltationibus* et *cantionibus amatoriis*, et libidinem magis excitantibus, quibus uſi ſunt comiſſantes, dicam. Ipſe CICERO, *Philipp.* V, *cap.* 6, *comiſſatores* cum *ſaltatoribus citharistisque* coniungit. *Saltatores*, inquit, *citharistas, totum denique comiſſationis Antonianae chorum in tertiam decuriam iudicum ſcitote eſſe coniectum.* PETRONIVS, *cap.* XXIII: *Refectum eſt conuiuium, et rurſus Quartilla ad bibendum reuocauit. Adiuuit hilaritatem* COMISSANTIS *cymbalistria. Intrat cinaedus, homo omnium inſulſiſſimus, et plane illa domo dignus, qui, ut infractis manibus congemuit, carmina effudit.* GELLIVS, *lib.* XVIIII, *cap.* 9: *Venerat ad eandem coenam Antonius Iulianus, rhetor.* — — *Is, ubi eduliis*, (i. e. primae menſae) *finis, et poculis mox ac ſermonibus* (i. e. comiſſationi,) *tempus fuit, deſiderauit exhiberi, quos habere eum adoleſcentem ſciebat, ſcientiſſimos utriusque ſexus, qui canerent uoce, et qui pſallerent, ac poſtea, quam introducti pueri puellaeque ſunt, iucundum in modum ἀνακρέοντεια pleraque, et Sapphica: et poetarum quoque recentium ἐλεγεῖα quaedum erotica, et uenuſta, accinerunt.* Huc adeo pleraeque *Odae Anacreontis* pertinent; e quibus uel unicam ſextam, quae, uiris eruditis recte cenſentibus, inſcribitur Κῶμος, i. e. *cantio comiſſantium*, et cuius poſteriores uerſus ſupra produxi, iam integram huc referam:

Στεφάνους μὲν κροτάφοισι,	*Coronas quidem temporibus*
Ῥόδινους συναρμόσαντες	*Roſeas ſimul aptantes*
Μεθύομεν ἁβρὰ γελῶντες.	*Inebriamur, ſuauiter ridentes.*
Ὑπὸ βαρβίτῳ δὲ κούρη,	*Ad barbiton uero puella*

Κατακίσσοισι βρύοντας	*Hederaceis plenos*
Πλοκάμοις φέρουσα θύρσους,	*Comis ferens thyrſos,*
χλιδανόσφυρος χορεύει,	*Delicatulis malleolis ſaltat.*
Ἁβροχαίτης δ' ἅμα κοῦρος	*Mollique caeſarie ſimul puer,*
Στομάτων ἀδὺ πνεόντων,	*Ore ſuauiter ſpirante,*
Κατὰ πηκτίδων ἀθύρων,	*Ad panduram ludit,*
Προχέει λίγειαν ὀμφάν.	*Fundens elegantem uocem.*
Ὁ δ' ἔρως ὁ χρυσοχαίτης	*Ipſe demum Amor auricomus,*
Μετὰ τοῦ καλοῦ Λυαίου,	*Vna cum pulchro Lyaeo,*
Καὶ τῆς καλῆς Κυθήρης	*Vna cum pulchra Venere,*
Τὸν ἐπήρατον γεραιοῖς	*Pergratam ſenibus*
Κῶμον μέτεισι χαίρων.	*Comiſſationem ingreditur laetus.*

Hinc adeo uſu uenit, ut, notante HESYCHIO, κῶμοι apud Graecos aliquando etiam ἀσελγῆ καὶ πορνικὰ ἄσματα, itemque συμποσίας ᾠδας, adhaec εἶδος ὀρχήσεως, deſignent. ZONARAS, ad *Canon.* IIII *Concilii Conſtantinopol. in templo Sanctorum Apoſtolorum habiti*, apud Beueregium, *T. I Synod. pag.* 338: Κωμάζειν ἐστὶ τὸ μετὰ ἀυλῶν καὶ κιθάρας καὶ ᾠδῶν τὸν οἶνον πίνειν. h. e. Κωμάζειν *eſt, uinum, adhibito tibiarum ac citharae ſono et cantibus, bibere.* Ex his uero, ſimilibusque ueterum teſtimoniis, cognoſcimus, quam uere κῶμον, ſiue *comiſſationem*, deſcripſerit SVIDAS: Κῶμός ἐστι μεθυσικὸς χορὸς ἐγχρονίζοντος τῷ οἴνῳ ἐριθίζων τὴν ἡδυπάθειαν, καὶ θέατρον ἄσχημον ποιῶν τὸ συμπόσιον, κυμβάλοις τισὶ καὶ ὀργάνοις καταθέλγων τὰς δαιτυμόνας. h. e. *Comeſſatio eſt chorus ebrioſus, uino morante,* (et non per uomitum reiecto,) *uoluptatis amorem irritans, et conuiuium indecorum ſpectaculum reddens, ac cymbalis quibusdam, aliisque inſtrumentis muſicis, demulcens conuiuas.*

De rixis, et conuiciis, turbisque comiſſantium.

XII. Sed et rixantium, et inter ſe contendentium, tumultuantiumque comiſſatorum proſtant exempla. Quanta enim ebrietas alios hilaritate, tanta alios iracundia, perfundit, ita ut alii ebrii riſu ſoluantur incondito; alii inconſolabili moerore plorent; alii audaciores et proteruiores facti temere aliquando in conuicia, mutuamque ruant perniciem. Hinc

EVRI-

EVRIPIDES: πλήγας ὁ Κῶμος λοίθορόν θ' ὕβριν φέρει. i. e. *Plagas comissatio iniuriamque contumeliosam excitat.* Scilicet tales comissatores aliquando non contenti apud aliquem coenasse et potasse, nocte identidem turmatim per uias publicas uagabantur; inde STVCKIVS, in *Antiquitatibus conuiualibus*, *lib.* I, *cap.* 10, ad uerbum κωμάζειν explicandum applicat hoc Germanorum, *Gassatum gehen.* Immo, quod noctu aliquando comissantes, idque armati, foribus effractis, in aedes amicarum irruperint, intelligimus ex HELIODORO, *lib.* IIII, *pag.* 192: Ἐπειδὴ μέσαι νύκτες ὕπνῳ τὴν πόλιν ἐβάπτιζον, ἔνοπλος κῶμος τὴν οἴκησιν τῆς χαρικλείας κατελάμβανεν. Οἱ δὴ μέγα τι καὶ ἀθρόον ἐμβοήσαντες καὶ δεύπω τῶν ἀσπίδων τὰς κατὰ μικρὸν ἀιθομένας ἐμβρο τήσαντες, ὑπὸ λαμπάσιν εἰσήλαιτο εἰς τὸ δωμάτιον, καὶ τὴν χαρίκλειαν ἀναρπάζουσιν. h. e. *Cum mediae noctes somno urbem mergerent, globus comissantium armatus aedes Charicliae occupabat. Qui subito ingenti clamore edito, et sonitu scutorum iis, qui paullulum sentiebant, perterrefactis, cum facibus accensis irruperunt in domunculam, Charicliamque rapiunt.* Sic CICERO, *lib.* IIII in *Verrem*, *cap.* XI, ubi Verris comissationes commemorat: *Erant*, inquit, *Verris conuiuia cum maximo clamore atque conuicio, non nunquam etiam res ad manus atque ad pugnam ueniebat. Iste enim praetor seuerus ac diligens, qui populi Romani legibus nunquam paruisset, illis diligenter legibus, quae in poculis ponebantur, obtemperabat. Itaque erant exitus eiusmodi, ut alius inter manus e conuiuio, tanquam praelio, auferretur; alius tanquam occisus relinqueretur; plerique ut fusi sine mente ac sine ullo sensu iacerent; quiuis ut, cum adspexisset, non se praetoris conuiuium, sed ut Cannensem pugnam nequitiae, uidere arbitraretur.* Ex eius modi pugnis et litibus comissantium, docente POLLVCE, *lib.* IIII, *cap.* 4, certa species ὀρχήσεως, siue saltationis, nomen nacta est, ut ὄρχησις κωμαστικὴ appellaretur, μάχην καὶ πλήγας ἔχουσα. Sed et PLVTARCHVS, in *Eroticis*, *pag.* 772, refert, Melissi filium, Actaeonem, formae uenustate et pudicitia omnes suos aequales superasse, amatumque

que esse a plurimis, maxime ab Archia: hunc, cum Actaeoni non persuadere potuisset, ut sibi se daret, ui rapere puerum aggressum, atque sodalium et seruorum turba stipatum, ἐπικωμάσαι ἐπὶ τὴν οἰκίαν τῦ Μελίσσα, *comissatum uenisse in Melissi domum*; reluctantibus autem patre et amicis, ac uicinis quoque accurrentibus, et eripere puerum nitentibus, Actaeonem, dum utraque pars ad eum se traxerit, interiisse, et maiora inde mala accidisse. Recte ergo huc pertinet illud PROVERBIOR. *cap.* XX, 1: Ἀκόλαστον ὂινος καὶ ὑβριστικὸν μέθη. h. e. *Luxuriosa res uinum, et tumultuosa ebrietas.* Et *cap.* XXIII, 29: *cui uae! cui rixae? cui foueae? Cui sine caussa uulnera? Cui suffossio oculorum? Nonne his, qui commorantur in uino, et student calicibus epotandis?*

An, et quomodo comissationes distinguantur a conuiuiis et compotationibus?

XIII. Supereſt quaestio breuiter excutienda, an et quodnam discrimen interceſſerit, inter κῶμον, siue *comissationem*, et inter *conuiuium*, atque *compotationem*? Ista enim nomina non raro inter se permisceri, saepius tamen distingui, obseruamus. Distinguit CICERO, *pro M. Coelio*, *cap.* XV: *Accusatores quidem libidines, amores, adulteria, actas*, (i. e. compotationes in actis, siue littoribus, celebratas,) *conuiuia, comissationes, cantus, symphonias, nauigia, iactant.* Distinguit LIVIVS, *lib.* XXXX, *cap.* 7: *Huius rei ignarus Demetrius: quin comissatum, inquit*, (e conuiuio) *ad fratrem imus, et iram eius, si qua ex certamine residet, simplicitate et hilaritate nostra lenimus? Perseus ianuam obserari iubet, et ex parte superiore aedium, uersisque in uiam fenestris, comissatores tanquam ad caedem suam uenientes, aditu ianuae arcet. Demetrius, per uinum, quod excluderetur, paullisper uociferatus, in conuiuium redit.* Et *cap.* 9, Perseus ad Demetrium, fratrem: *Conuiuam me tibi committere ausus non sum? comissatorem te cum armatis uenientem recipiam?* Distinguit etiam TERTVLLIANVS, *de poenitentia*, *pag.* 560: *Nullis conuiuiis celebres, nullis comissationibus congrues.* Superſedeo alia huius generis loca congerere. Verum sic puto, *comissationem* quidem *compotationem*-

que

que *intempeſtiuam*, et cum luxuria coniunctam, etiam eſſe conuiuium; at *conuiuii* nomen omnino latius patere, nec ſemper in uitio poni: cum etiam moderata et honeſta fuerint *conuiuia*, nec *coenae* ſemper cum *comiſſationibus* immoderatis et laſciuis compotationibus, immo aliquando nec cum *menſis* quidem *ſecundis*, coniunctae. Sic ipſe CICERO, *lib.* VIIII *ad famil. epiſt.* XXIIII, commendat *conuiuia*, neque ea in uniuerſum ad uoluptatem refert; ſed *ad communitatem uitae atque uictus, remiſſionemque animorum; quae maxime ſermone efficiatur familiari, qui ſit in conuiuiis dulciſſimus: ut ſapientius Romani, quam Graeci, hi* συμπόσια, *aut* σύνδειπνα, i. e. *compotationes et concoenationes; Romani conuiuia, uocarint, quod tum maxime ſimul uiuatur.* Conf. idem CICERO, *de ſenectute, cap.* XIII, et XIIII. Sic PLVTARCHVS, *lib.* V *Sympoſ. in praef. pag.* 672, tradit, in conuiuiis urbanos atque bellos homines ſtatim a coena ad colloquium, uelut ad ſecundas menſas, ſe conferre. Etiam Domitianum, Imperatorem, frequenter conuiuatum eſſe ſine comiſſatione, narrat SVETONIVS, in *uita eius, cap.* XXI: *Lauabat*, inquit, *de die, prandebatque ad ſatietatem; ut non temere ſuper coenam, praeter Matianum malum, et modicam in ampulla potiunculam, ſumeret.* CONVIVABATVR *frequenter, ac large; ſed paene raptim, certe non ultra ſolis occaſum, nec ut poſtea* COMISSARETVR. Si quando igitur *comiſſationes* etiam ad *conuiuia* et *ſympoſia* referuntur, nomina haec laxius ſumuntur, ut etiam nocturna illa et immoderata, atque laſciua, conuiuia denotentur. Sic THEODORETVS, Cyri Syriae opidi Epiſcopus, *in Graecarum affectionum curatione, comiſſationes* refert ad *conuiuia*: Κωμάζειν τινὲς ἐιώθασιν ἐν συμποσίοις, καὶ αἰσχροῖς ἄσμασι καταμολύνειν τὴν γλῶτταν. h. e. *Solent non nulli in conuiuiis comiſſari, et linguam turpibus cantilenis polluere.* Atque ante hunc CLEMENS ALEXANDRINVS, qui a fine ſaeculi ſecundi floruit, *lib.* II *Paedag. cap.* 4: Ἀβέτω δὲ ἡμῖν τῆς λογικῆς εὐωχίας ὁ κῶμος. — Οἱ μὲν γάρ ἐσι μεθυσικὸς αὐλὸς, ἄλυς ἐρωτικῆς ᾠδίας, τῆς ἀδημονίας ὁ Κῶμος. i. e. *A conuiuio rationali*

uali abſit comiſſatio. — Eſt enim haec comiſſatio tibia inebrians: nauis tumultuarie conſtructa impotentiae. Non pauci auctores *conuiuas* ita ſeparant a *comiſſatoribus*, tanquam *conuiuae* ad conuiuium coenamque ſint uocati, *comiſſatores* uero poſt coenam uenerint. Quemadmodum uero *uulgaris compotatio* gradu differat a *comiſſatione*, indicat EPICHARMVS, apud ATHENAEVM, lib. II, *pag.* 36, eleganti hac gradatione: Ἐκ μὲν θυσίας, θοίνη, ἐκ δὲ θοίνης πόσις ἐγένετο· χάριεν ὡς γε μοι. ἐκ δὲ πόσιος κῶμος, ἐκ κώμου δὲ ἐγένετο θυανία, ἐκ δὲ θυανίας δίκη, ἐκ δὲ δίκης καταδίκη, ἐκ δὲ καταδίκης πέδαι τε καὶ ζημία καὶ σφάκελος. i. e. *E ſacrificio exiſtit epulum, ex epulo compotatio, quod feſtiuum meo iudicio fuit; e compotatione comiſſatio; e comiſſatione animi impotentia; ex animi impotentia lis apud iudices; ex lite condemnatio; e condemnatione compedes, mulcta, ſideratio.* Huc etiam faciunt Graeci uerſus Eubuli, antiqui poetae, apud eundem ATHENAEVM, loco citato; in quibus uerſibus, quos nunc Latine duntaxat apponam, Bacchus ita loqui fingitur: *Tria ego pocula tantum miſceo illis, qui ſapiunt: unum bonae ualetudinis, quod omnium primum bibunt; deinde alterum Amoris et uoluptatis; ſoporis tertium; quo epoto, ii, quos ſapientes dicimus, ſeſe domum recipiunt: poſt, ſi quartum additur, non eſt id amplius noſtrum, ſed proteruiae; quinctum clamoris, ſiue uociferationis; ſextum comiſſationis; ſeptimum ſuggillationis ſub oculis ex rixantium conflictu; octauum apparitoris; nonum iracundiae; decimum furoris, quo proſternuntur, qui bibunt.*

CAPVT II

IN QVO ILLVSTRATVR LOCVS N. F.

EX I EPIST. PETRI CAP. IIII, 3:

Locus PETRINVS proponitur illuſtrandus.

IAm ſequitur, ut quendam huius tractationis uſum in illuſtrandis diuinioribus literis oſtendam. Nimirum tria Noui Foederis loca extant, in quibus uocabulum, κῶμοι, i. e. *comiſſationes*, occurrit; nempe ad ROM. XIII, 13; ad

GA-

GALAT. V, 21; et I PETRI IIII, 3: e quibus nunc potissimum seligo locum PETRINVM, modo designatum:

Ἀρκετὸς γὰρ ἡμῖν ὁ παρεληλυθὼς χρόνος τὸ βίε, τὸ θέλημα τῶν ἐθνῶν κατεργάσασθαι, πεπορευμένυς ἐν ἀσελγείαις, ἐπιθυμίαις, οἰνοφλυγίαις, ΚΩΜΟΙS, πότοις, καὶ ἀθεμίτοις εἰδωλολατρείαις.

EX INTERPRETATIONE DESID. ERASMI:

Sat enim est nobis, quod anteacto uitae tempore uoluntatem gentium patrauerimus, cum ambularemus in lasciuiis, concupiscentiis, uinolentiis, COMISSATIONIBVS, *et nefariis simulacrorum cultibus.*

Nolo repetere omnia, et pluribus explicare, quae de aliis huius loci uerbis, in *Curis philologicis et criticis* iam succincte annotauit IO. CHRISTOPHORVS VVOLFIVS, de re sacra et literaria optime meritus. Bene obseruarat uir beatus, in his diui PETRI uerbis recte retineri has uoces, ἡμῖν, et τῦ βίε, etsi ex quibusdam codicibus exciderint; nec opus esse, ut cum HALLETO, Anglo, pro ἡμῖν legatur ὑμῖν, licet hoc pronomen secundae personae alii quidam codices exhibeant, Syrusque interpres exprimat: cum uulgata lectio satis apte per κοίνωσιν exponi possit, quasi diuus Apostolus et ipse olim cum iis uixerit, qui ante lumen christianae religionis iisdem in rebus se accommodarint ad uoluntatem *ethnicorum.* Ostendit praeterea, loquendi formulam, πορέυεσθαι ἐν ἀσελγείαις, pro *uiuere lasciue*, non ex Hebraismis esse arcessendam, sed Graecis etiam apud ipsum Platonem familiarem; adhaec, nec ad soloecismum referendum esse, quod participium πεπορευμένυς non respondeat casui tertio pronominis ἡμῖν, cum ita et alii Graeci ament loqui, ut accusatiuus sequatur infinitiuum. Illud uero nunc praecipue considerandum esse censeo, quod diuus PETRVS satis caussae habuerit, quare κώμυς, siue *comissationes*, retulerit inter crassiora peccata et uitia hominum, quae quidem uoluntati paganorum, christianae religionis expertium, minime autem sanctissimae uoluntati ueri DEI, conueniant; siue expendamus, *comissantes* ad comis-

sationes suas Bacchum, Venerem, Cupidinem, aliaque commentitiorum deorum numina, inuocasse, eorumque honori libasse, et laudes cantasse; siue animaduertamus, eiusmodi comissationes, uel cum ebrietate, uel cum omnis generis lasciuia et libidine, coniunctas fuisse, uel aliquando etiam in meras lites, conuicia, et caedes, exiisse. Haec enim omnia plurimis istis Graecorum Romanorumque comissationibus communia fuisse, superiore capite copiosius demonstraui. Luculenter adeo exposuit AMBROSIVS, Mediolanensis Episcopus, qui quarto post CHRISTVM natum saeculo floruit, aut quisquis alius Pater istius aeui commentarios in omnes PAVLI epistolas conscripsit, quid adhuc suo tempore per κώμους intellexerit; cum in *comment. ad Rom.* XIII, 13, haec annotarit: COMISSATIONES *sunt luxuriosa conuiuia, quae aut collatione omnium celebrantur, aut uicibus solent a contubernalibus exhiberi, ut neminem illic pudeat aliquid inhoneste dicere, aut facere: quia unusquisque praesumit, quod suum conuiuium sit. Solent enim in aliena mensa pudore coerceri; sed hic ad hoc conuenitur, ut foeda illic congeratur copia uini, ut incitetur libidinis diuersa uoluptas. Idcirco euitanda praecipit Apostolus huiusmodi conuiuia.* Quis uero non intelligit, ante omnia diuinum illum deorum fictorum cultum et libationem inter pocula, de qua *Sect.* V, *Cap.* I, dixi, non potuisse non Christianis execrabilem esse? Vnde obseruamus, uideri quidem licuisse aliquando interesse conuiuiis paganorum, moderatis nempe et honestis; I CORINTH. X, 27; neutiquam epulis in honorem deorum publice celebratis, et aliis priuatis comissationibus, in quibus, praeter alia detestanda peccata, locum habebat ἀθέμιτος εἰδωλολατρεία, cuius meminit PETRVS, et nefaria illa blasphemia, quam innuit EVSEBIVS CAESARIENSIS PAMPHILI, qui etiam sub saeculi quarti initium uixit, *lib.* VII *de mandato domini*, *pag.* 118, T. I *inter opera* SIRMONDI. *Negant* CHRISTVM, inquit, *non solum hi, qui in persecutione negant; Siquidem nec, qui confitentur in persecutionibus, ipsi soli sunt,*

qui

qui confitentur. Sed deſcendamus ad negotia, et fugiamus irreligioſitatem. — Quis autem et alius negabit CHRISTVM? *Cum aliquis uocatus fuerit ad coenam gentilium, et perrexerit; (necdum enim hoc prohibitum eſt,) uinum autem uiderit a coenante in terram effundi et libari, et accenſo blasphemio ab his, qui ea, quae ſunt Domini, ingrate manducant, coeperint blasphemare in DEVM; ille autem, ut Herodes, propter diſcumbentes fuerit confuſus, et tacuerit, non ponens ante oculos ſuos* CHRISTVM, *negat profecto, quem non reſpondens confitetur.* Sed etiam aliae, ut dixi, non minus graues erant cauſſae, ob quas *comiſſationes nocturnae* aduerſarentur religioni Chriſtianae: quia nempe, quod iam ſupra, *cap.* I, *ſect.* X, XI, et XII, declaraui, eae plerumque cum temulentia, cum laſciuia, et cantilenis, ſaltationibusque amatoriis, aliisque uoluptatum generibus, erant coniunctae. Neque dubito, quin diuus PAVLVS, I THESSAL. V, 6, 7, reſpexerit mores comiſſantium, cum dixerit: *Omnes enim uos filii lucis eſtis, et filii diei: non ſumus noctis, neque tenebrarum. Igitur non dormiamus, ſicut et ceteri; ſed uigilemus, et ſobrii ſimus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: et qui ebrii ſunt, nocte ebrii ſunt. Nos autem, qui diei ſumus, ſobrii ſimus.* Hinc THEOPHYLACTVS, ad GALAT. V, 21; Κῶμοι τὰ μεθυόντων μεθ' ὕβρεων ἄσματα. i. e. Κῶμοι, ſiue *comiſſationes, ſunt temulentorum ebrioſorumque laſciuiae, et contumelioſae cantilenae.* CLEMENS ALEXANDRINVS, *lib.* II *Paedag. cap.* II, *pag.* 154: Οἱ δὲ κακοδαίμονες, οἳ μακαριστὸν ἡγοῦνται εἶναι τὴν ἀκρασίαν τὴν περὶ τὰ συμπόσια. ὧν ἐστι τὸ ζῆν ἡδὲν ἄλλο, ἢ κῶμος, κραιπάλη, βαλανεῖα, ἄκρατος, ἀμίδες, ἀργία, πότος, i. e. *Infelices et miſeri ſunt, qui intemperantiam, quae in compotationibus uerſatur, uitam beatam eſſe exiſtimant: quorum uita quidem nihil eſt aliud, quam comiſſatio, crapula, balnea, temetum, matulae, otium, potus.* Quare, referente AVRELIO VICTORE, in *Epitom. cap.* XXXVIII, 10, THEODOSIVS *uinolentiam usque eo deteſtatus eſt, ut prohibuerit lege miniſteria laſciua, pſaltriasque, comiſſationibus adhiberi.* Inde et multa piorum Patrum primae Eccleſiae reperiuntur lo-

ca, quibus execrati sunt *comissationes gentium*, et ab iis reuocarunt christianos. Sed et in *Sacris canonibus* saepe tales comissationes iis interdictae sunt. u. g. in *Codice Canonum Ecclesiasticorum Dionysii exigui*, (in Voelli et Iustelli collect. T. I, *pag.* 108,) ex *Canonibus Concilii apud Laodiceam Phrygiae congregati, tit.* CLVII, decretum est, *Non congruere penitus christianis interesse comissationibus.* Item, *pag.* 155, ex *canonibus Synodi apud Carthaginem, sub Honorio et Theodosio, Impp. celebratae, Tit.* LX, *de paganorum conuiuiis auferendis: Illud etiam petendum, ut, quae contra praecepta diuina, conuiuia multis in locis exercentur, quae ab errore gentili attracta sunt, — uetari talia iubeant: maxime cum etiam in natalibus martyrum per non nullas ciuitates, et in ipsis locis sacris talia committere non reformident. Quibus diebus etiam, quod pudoris est dicere, saltationes sceleratissimas per uicos, atque plateas, exerceant; ut matronalis honor, et innumerabilium feminarum pudor, deuote uenientium ad sacratissimum diem, iniuriis lasciuientibus appetatur, ut etiam ipsius sanctae religionis penc fugiatur accessus.* Cuiusmodi Constitutiones etiam adhuc inter CAROLI M. et LVDOVICI PII, Imperatorum, *Capituloria* obseruare licet. Quin et iam olim ipsi quoque prudentiores et honestiores pagani detestati sunt tales *comissationes.* Certe ipse CICERO Latina nomina *comissatoris* et *comissationis* semper in uitio ponit, grauissimisque aliis malis annumerat. u. g. *Orat. pro Murena, cap.* VI: *Nullum turpe conuiuium, non amor, non comissatio, non libido, non sumtus, ostenditur; et, cum ea non reperiantur, quae uoluptatis nomen habent, quaeque uitiosa sunt; in quo ipsam luxuriam reperire potes, in eo te umbram luxuriae reperturum putas?* Idem, *Orat.* II *in Catil. cap.* V, de quibusdam perditis hominibus: *Quod si in uino et alea comissationes solum, et scorta, quaererent; essent illi quidem desperandi; sed tamen essent ferendi: hoc uero quis ferre possit, inertissimos homines fortissimis uiris insidiari; stultissimos prudentissimis; ebrios sobriis; dormientes uigilantibus; qui mihi accubantes in conuiuiis complexi mulieres impudicas, uino languidi, conferti cibo, redimiti sertis, unguen-*

unguentis oblitì, debilitati ſtupris, eructant ſermonibus ſuis caedem bonorum, atque urbis incendia. Idem, *pro M. Coelio, cap.* XV: *Accuſatores quidem libidines, amores, adulteria, actas* (i. e. conuiuia in actis, ſiue litoribus, celebrata) *conuiuia, comiſſationes, cantus, ſymphonias, iactant.* Idem, *Philipp.* V, *cap.* VI: *Saltatores, citharistas, totum denique comiſſationis Antonianae chorum in tertiam decuriam iudicum ſcitote eſſe coniectum.* Adde SENECAM, *epiſt.* LI: *Illic uidere ebrios per litora errantes, et comiſſationes uauigantium, et ſymphoniarum cantibus perſtrepentes lacus, et alia, quae uelut ſoluta legibus luxuria non tantum peccat, ſed publicat, quid neceſſe eſt?*

II. Sicut autem diuus Apoſtolus PAVLVS, ad ROMAN. XIII. 13, et ad GALAT. V, 21; ita ſimiliter diuus PETRVS hoc loco κώμους collocat inter alia uitia aeque craſſa, quae repugnant uoluntati diuinae, et quae partim cum comiſſatione ſunt coniuncta, partim etiam extra eam ſunt. Sic nominat ἀσελγείας. Quae uox late patet, et ad omnia ſe extendit, quae laſciue, libidinoſe, petulanterque, fiunt, et quibus abſcondendis nulla ſatis atra nox eſt, uti *Seneca* loquitur, *lib.* I *natur. Quaeſt. cap.* XVI. Vide b. IO. OLEARIVM, in *Exercitat. philolog. Graecum epiſtol. Dominical. Textum concernentibus, pag.* 7. Etiam uir celeberr. IO. CONR. SCHVVARZ, in *comment. Critic. et philol. linguae Graecae* N. T. obſeruauit, exemplisque probauit, ἀσέλγειαν non ſolum notare laſciuiam et libidinem inhoneſtam in feminas, uti apud POLYBIVM *lib.* X, *cap.* 35; ſed etiam omnem iniuriarum et petulantiae libidinem effrenem, indeque profecta facinora, uti apud eundem POLYBIVM, *lib.* V, *cap.* 8, et *lib.* VIII, *cap.* 9, ubi ſermo eſt de ueneficiis Philippi. De tali iniuriarum libidine hac uoce etiam uſus eſt DEMOSTHENES, in initio *orat. in Midiam de alapa*: Τὴν μὲν ἀσέλγειαν καὶ τὴν ὕβριν, ἣν πρὸς ἅπαντας ἀεὶ χρῆται Μειδίας, οὐδένα ἀγνοεῖν οἶομαι. i. e. *Quae petulantia et contumelia ſemper in omnes utatur Midias, neminem ignorare puto.* Ad quem locum LIBANIVS, *ſcholiaſtes*, tradit, quosdam dicere, Demoſthenem hic nouum attuliſſe nomen, et

De aliis quibusdam uocibus loci Petrini. ἀσέλγεια.

et ἀσέλγειαν hic accepisse pro ἀισχρεργία, *flagitio*, et foeda actione. Tum pergit: Φαμὲν δὲ καὶ ἡμεῖς, ὅτι ἀσελγὴς λέγεται ὁ μὴ μετέχων μήτε δικαιοσύνης, μήτε ἀρετῆς. Σέλγη γάρ ἐστι μία πόλις τῆς παμφιλίας, ἐν ᾗ πάντες δίκαιοι ἦσαν, καὶ ἀρετῆς ἀνάμεσοι. ἀσελγὴς οὖν ὁ μὴ μετέχων τῆς Σέλγης. i. e. *Asserimus autem nos quoque, dici ἀσελγῆ eum, qui et iustitiae et omnis uirtutis sit expers. Selge enim est quoddam Pamphiliae opidum, in quo omnes iusti fuerunt, et uirtute referti.* Ἀσελγὴς, *igitur, qui Selges est expers.* Non nulli, in uoce ἀσέλγεια, non κατηγορικὸν, siue *priuatiuum*, sed ἐπιτατικὸν, seu *intensiuum*, agnoscunt, opinantes, nomen hoc ab alio opido Pisidiae descendisse, cuius incolae luxus nomine fuerint infames, unde ἀσελγεῖς ualde luxurioſi et lasciui dicantur. Priori tamen sententiae magis accedit CELLARIVS, in *Geogr. antiq. T.* II, *lib.* III, *cap.* 4, *et* II. Mihi uidetur Germanorum uerbum, *schwelgen*, i. e. *helluari*, (quod VVACHTERVS, in Glossario dicit proprie esse, *absorbere*, a uoce Anglo-Sax. *Schvvalg*, et *suelgur*, baratrum,) cum uerbo ἀσελγαίνειν quandam cognationem habere. Porro designat diuus PETRVS ἐπιθυμίας, nempe prauas prauarumque rerum cupiditates; uti MARCI IIII, 19; et II ad TIMOTH. III, 6. CLEMENS ALEX. *lib.* I *Paedag. cap.* XIII, ait: τὴν μὴν ἐπιθυμίαν ὄρεξιν ἀπειθῆ λέγω. i. e. *Cupiditatem dico appetitionem, quae non paret rationi.* Huiusmodi autem cupiditatibus tanto magis indulgebant homines, qui extra CHRISTVM erant, cum nescirent, aut non cogitarent, ἐπιθυμίαν esse peccatum. Rom, VII, 7. Adhaec refert huc diuus Apostolus οἰνοφλυγίας, i. e. secundum uulgatam, *uinolentias*, ab οἰνόφλυξ, *uinosus, uini auidus, uinum eructans*; ex οἶνος, et φλύω, uel φλύζω, bullio, siue, ut auctor *Etymologici Magni*; φλύω, ὁρμὴν πρός τι ἔχω. OECVMENIVS exposuit τὰς ἐπὶ τὸν οἶνον ἀκρατεῖς ὁρμάς. Vtitur hac uoce AELIANVS, *Var. Hist. lib.* III, *cap.* 13: Βυζαντίους δὲ δεινῶς οἰνόφλυγας ὄντας ἐνοιπεῖν τοῖς καπηλείοις, ὁ λόγος ἔχει. -- Ὡς ἐν ταύτῳ τὰς Βυζαντίους διαλῆν αἰτίαν φέρεσθαι, καὶ οἰνοφλυγίας, καὶ προαγωγείας. i. e. *Byzantios ualde uino deditos fama fert, cauponas frequentare. Itaque et*

ἐπιθυμίαι.

οἰνοφλυγία.

duplicem eodem facto ſuſtinent culpam Byzantii, et temulentiae, et proſtitutionis. PLVTARCHVS, qui alibi etiam uoce, οἰνοφλυγία, utitur; in libello *de garrulitate*, *pag.* 583, pro ea uidetur ponere ὄινωσιν; et οἰνώσεως quidem ac μέθης hoc diſcrimen tradit, ut οἰνώσει ἄνεσιν, μέθῃ δὲ, φλυαρίαν, h. e. *uinoſitati leuitatem, ebrietatiq; uero futilitatem*, tribuat. Praeterea diuus PETRVS inter res uitioſiſſimas connumerat πότους, i. e. *compotationes*; quae quidem etiam cum κώμοις, ſiue *comiſſationibus*, erant coniunctae; non minus tamen compotationes intempeſtiuae etiam extra comiſſationes aduerſabantur uoluntati diuinae, ſi quando inducerent ebrietatem, et tempus ſaepe μωρολογίαις et αἰσχρολογίαις, *ſtultis* et *turpibus ſermonibus*, perderent. Teſte enim PLVTARCHO, de *garrulitate*, Φιλόσοφοι τὴν μέθην λέγονται εἶναι λήρησιν πάροινον. i. e. *Philoſophi aiunt, uaniloquentiam in uino eſſe*, Καὶ ἡ μωρολογία μέθην ποιεῖ τὴν ὄινωσιν, *et ſtultiloquentia ex uinoſitate facit ebrietatem.* Interim idem PLVTARCHVS, *de puer. ed.* dum recenſet peccata iuuenibus familiaria, coniungit itidem πότους cum κώμοις: Τὰ δὲ τῶν ἤδη νεανισκευομένων ἀδικήματα πολλάκις ὑπερφυᾶ γίνεται, καὶ σχέτλια, ἀμετρία γαστρὸς, κλοπαὶ πατρῴων χρημάτων, καὶ κύβοι, καὶ κῶμοι, καὶ πότοι, καὶ παρθένων ἔρωτες, καὶ γυναικῶν οἰνοφθορίαι γαμετῶν i. e. *At iam ex ephebis egredientium peccata ſaepenumero ingentia ſunt et atrocia: ingluuies uentris, furta pecuniae paternae, alea, comiſſationes, potationes, uirginum amores, nuptarum adulteria.* B. GERHARDVS οἰνοφλυγίας de uitioſo habitu et affectu; πότους uero de potandi actu, interpretatur. HVGO GROTIVS, ut πότους magis diſtingueret a *uinolentiis*, illos exponit per *aſſidua conuiuia*, ſiue συμπόσια, quae, quamuis abſit etiam ebrietas, culpa tamen non careant. Sic πότον in deteriorem partem ſumi a LXX Interpretibus, GENES. XXXX, 20; IVDIC. XIIII, 10. 12. 17, pluribusque aliis locis. Tandem diuus PETRVS, tanquam ſummam et compendium omnium craſſiorum peccatorum, paganis communium, commemorat ἀθεμίτους εἰδωλολατρείας, i. e. *iniuſtos, ſiue nefarios cultus falſorum deorum.* Recte coniecit GROTIVS, reſpici hic poti-

πότοι.

ἀθέμιτοι εἰδωλολατρείαι.

simum speciem idololatriae, *adesse sodalitiorum συσσιτίοις, de quibus decerpta falsis diis dabantur, et libabantur.* Quin et in priuatis compotationibus ac comissationibus huiusmodi idololatriam locum habuisse, iam supra copiose ostendi; cum non solum Baccho, Veneri, aliisque diis, sed et geniis Principum, libaretur, et aliquando etiam deorum imagines et idola eum in finem afferrentur, et honorarentur. Istiusmodi εἰδωλολατρείας hic dicitur ἀθέμιτος, i. e. *iuri aduersa, iniusta, nefaria*; quia iniustum et nefarium erat, eum honorem, qui soli DEO VERO debebatur, tribui fictis numinibus deorum, et principum. Componitur ista uox ex α στερητικῷ, et *adiectiuo*, θέμιτος, quod est a θέμις, *iustitia*, et legitur apud PARTHENIVM, *in Eroticis, cap.* VIIII. RAPHELIVS, in *annotat. ex Xenophonte*, obseruauit, Xenophontem, *Cyropaed. lib.* I, *pag.* 21, ἀθέμιτα εὐχομένους eos dicere, qui contra uoluntatem diuinam aliquid petant. Merito autem CALOVIVS, in *Bibliis illustratis* ad h. l. reprehendit GREGORIVM DE VALENTIA, *lib.* II. *de Idol. Cap* VII, *pag.* 718, qui ex hoc S. PETRI loco inepte colligere uoluerit, dari utique quendam licitum idolorum cultum.

Comparatio κώμων, siue COMISSATIONVM *paganorum, cum* AGAPIS *ueterum Christianorum.*

III. Non possum, quin in fine huius sacri argumenti afferam adhuc elegantem comparationem κώμων, siue *comissationum paganorum*, cum *coenis et agapis ueterum Christianorum*, quam exposuit TERTVLLIANVS, in *Apologetico aduersus gentes, cap.* XXXVIII. *Coena nostra*, inquit, *de nomine rationem suam ostendit; uocatur ἀγάπη, id quod dilectio penes Graecos est. - - Nihil uilitatis, nihil immodestiae, admittit. Non prius discumbitur, quam oratio ad DEVM praegustetur. Editur, quantum esurientes capiunt; bibitur, quantum pudicis est utile. Ita saturantur, ut qui meminerint, etiam per noctem adorandum DEVM sibi esse. Ita fabulantur, ut qui sciant, Dominum audire. Post aquam manualem, et lumina, ut quisque de scripturis sanctis, uel de proprio ingenio, potest, prouocatur in medium, DEO canere. Hinc probatur, quomodo biberit. Aeque oratio conuiuium dirimit. Inde discedituur, non in cateruas caesionum, neque in classes discursa-*

ſationum, nec in eruptiones laſciuiarum; (quibus tribus denominationibus deſignantur κῶμοι, ſiue comiſſationes, paganorum:) *ſed ad eandem curam modeſtiae, et pudicitiae, ut qui non tam coenam coenauerint, quam diſciplinam.* Huc etiam facit, quod CLEMENS ALEXANDRINVS, *lib.* II. *paedag. cap.* IIII, *pag.* 165, loco κώμων, et *comiſſationum* paganorum, quas nouerat foedis, et idololatricis, amatoriisque cantilenis, atque inſtrumentis muſicis, frequentari, commendat meliorem κῶμον, et, ſi Latina uoce ita uti liceat, *comiſſationem*, ad gratias DEO uero agendas comparatam. Poſtquam enim ex COLOSS. III, 16, adduxiſſet locum, in quo iubemur *nos inuicem admonere, cantionibus, et laudibus, et cantilenis ſpiritualibus, cum gratia canentes in corde Domino;* ita pergit pius Pater: οὗτος ἡμῶν ὁ κῶμος ὁ εὐχάριστος. Κἂν πρὸς κιθάραν ἐθελήσῃς, ἢ λύραν ᾄδειν τε καὶ ψάλλειν, μῶμος οὐκ ἔστιν. ἑβραῖον μιμήσῃ δίκαιον βασιλέα, εὐχάριστον τῷ Θεῷ. PSALM. XXXII, 1. 2. — — Ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς παλαιοῖς ἕλλησι, παρὰ τὰς συμποτικὰς εὐωχίας καὶ τὰς ἐπιψηκαζούσας κύλικας, ἑβραικῶν κατ' εἰκόνα ψαλμῶν, ᾆσμα τὸ καλούμενον σκολιὸν, ἤδετο κοινῶς ἁπάντων ἅμα φωνῇ παιανιζόντων. ἔθ' ὅτε δὲ καὶ ἐν μέρει περιελιττόντων τὰς προπόσεις τῆς ᾠδῆς. Οἱ δὲ μουσικώτεροι αὐτῶν καὶ πρὸς λύραν ἦδον. Ἀλλ' αἱ μὲν ἐρωτικαὶ μακρὰν ἐῤῥέτων ᾠδαί. ὕμνοι δὲ ἔσων τοῦ θεοῦ αἱ ᾠδαί. κ, τ. λ. i. e. *Haec eſt gratioſa noſtra comiſſatio. Et, ſi ad lyram, uel citharam, canere et pſallere noueris, nulla in te cadet reprehenſio. Regem iuſtum Hebraeorum imitaberis, qui DEO eſt gratus et acceptus. - - Ceterum apud Graecos quoque ueteres, in conuiuiis ad compotandum comparatis, et rorantibus poculis, ad Hebraicorum pſalmorum ſimilitudinem, canticum, quod appellabatur σκολιὸν, canebatur, communiter omnibus uoce ſimul paeana clamantibus, et non nunquam etiam per cantici uices propinationem circumagentibus. Qui autem erant ex eis Muſicae paulo peritiores, etiam ad lyram canebant. Verum amatoria quidem procul abſint cantica. Sint autem cantica DEI laudes. etc.*

CAPVT III,

DE LOCO PANEGYRICI PLINIANI.

I.

Locus PANEGYRICI PLINIANI *ex cap. LIIII proponitur illustrandus.*

NVnc demum deuenio ad locum PLINII illustrandum, ut in eo partim antiquam aliquam uulgatamque lectionem tuear atque uindicem, partim aliquam hucusque corruptam emendem, atque in integrum restituam. Scilicet *cap.* LIIII panegyrici incomparabilis haec legimus uerba:

„*Et quis iam locus miserae adulationis manebat* ignarus? *cum* „*laudes Imperatorum ludis etiam et comissationibus celebrarentur,* „*saltarentur, atque in omne ludibrium effeminatis uocibus, modis,* „*gestibus, frangerentur. Sed illud indignum, quod eodem tempore* „*in senatu, et in scena, ab histrione, et a consule, laudabantur.* „*Tu* pocula *a tui cultu,* tu *ludicras artes, remouisti. Seria er-* „*go te carmina, honorque aeternus annalium, non haec breuis et* „*pudenda praedicatio colit.*

Ita locum hunc ope duodecim circiter codicum MSS. (nisi quod in codice Parisiensi, pro *comissationibus* exaratum sit, *commensationibus*,) concinnandum existimauit uener. Dom. PRAESES, ac iam tum publicauit, cum A. cIoIocccxviiii primam partem *Obseruationum criticarum ad loca quaedam Panegyrici Pliniani illustranda* ad disquirendum proponeret. In ipso autem hoc loco antehac uulgo in editis libris primum desiderabatur uox, *ignarus*; quae ad constituendam pleniorem sententiam feliciter e codicibus MSS. nunc restituta est. Deinde in omnibus impressis exemplaribus ad hunc usque diem ita prodita sunt haec uerba: *Tu procul a tui cultu ludicras artes remouisti.* At integrior horum uerborum lectio ex codicibus MSS. Vaticanis, Guelpherbytano, et Schvvarziano, iam redit in lucem: *Tu* pocula *a tui cultu*; tu *ludicras artes*, *remouisti.* Viri celeberrimi, qui recentius Plinii panegyricum edidere, et illustrauere, GESNERVS atque ARNTZENIVS, lubentes amplexi sunt primum supplementum uocis, *ignarus*; at posteriorem emenda-

dationem, per quam legimus: *Tu* pocula *a tui cultu*, tu *ludicras artes*, *remouisti*, admittere noluerunt; immo pro uulgata uoce, *comissationibus*, nunc euulgarunt, *commissionibus*, quam uocem uiri quidam eruditi duntaxat e coniectura et ingenio commendauerant. Vtrum bene, an secus? iam parumper disquirere audebo. Fundamenti autem loco ponam illam regulam moderatioris critices, quae mihi maxime probatur: nempe, nunquam facile ex solo ingenio, et sine indicio meliorum codicum MSS. a uulgata lectione ueterum scriptorum recedendum esse, quoad uulgata lectio commodam sententiam constituit; ne, si nobis liceat saltem ex ingenio ea mutare, atque pro lubitu reponere, quae nobis nunc meliora, aut elegantiora, uideantur, infinita mutandorum ueterum scriptorum occasio aperiatur. Iam, si haec applicamus ad uocem, *comissationibus*, in hoc Plinii loco uulgo expressam, ante omnia notamus, eam in omnibus quoque codicibus MSS. residuis, quos consulere nobis contigit, diserte scriptam (si unicam codicis Parisiensis uarietatem, *commensationibus*, excipias,) et in antiquioribus quibuscunque editionibus excusam, inueniri, satisque commodam sententiam efficere. Primus IO. LIVINEIVS, cum A. cIↃIↃXCIX Antuerpiae ederet Panegyricum Plinii, in adiectis notis monuit, pro *comissationibus* legendum esse, *commissionibus*; quoniam Suetonius, in *Augusto*, *cap.* LXXXVIIII, scripserit: *Componi aliquid de se, nisi et serio, et a praestantissimis, offendebatur*; *admonebatque praetores, ne paterentur nomen suum commissionibus obsolefieri.* Deinde idem Liuineius obseruat, apud SENECAM quoque, *epist.* LXXXV, inter se permutari uoces, *comissationibus*, et *commissionibus*, cum uulgetur: *in comissationibus nostris plus cantorum est, quam in theatro olim spectatorum fuit*; in Leodiensi autem MS. quodam bene scriptum sit, *commissionibus.* Interim neque ille ipse LIVINEIVS, neque diu post alius, uocabulum, *commissionibus*, in contextum Panegyrici recepit; quamuis et CASAVBONVS, in *commentar.*

ad Suetonium, et LIPSIVS, in *notis ad Plinii panegyricum*, eandem coniecturam probassent. Et LIPSIVS quidem satis modeste: *Olim monui*, inquit, *commissionibus, legi posse: nam eo nomine ludi, et ubicumque certamen de palma; tamen posse, non debere. Nam comissationes retinere licet et tueri, quia comoedi, citharoedi, et id genus, in mensa etiam dabantur. Et quidni carmina ibi in laudem Principis, cui haec placerent?* Primus adeo CELLARIVS, loco uocis uulgatae, *comissationibus*, intrusit Plinio uocem, *commissionibus*; quem secutus est PATAROL, ac nunc ARNTZENIVS, et GESNERVS, nullius, ut iam dixi, codicis MS. auctoritate adiuti. Sed facile, ut puto, liquet, lectionem uulgatam, et ab omnibus codicibus MSS. adhuc cognitis confirmatam, non solum commodam, sed etiam meliorem sententiam, quam si cum *commissionibus* permutetur, constituere, adeoque Plinio merito uindicandam esse. Nonne enim hoc moribus illorum temporum conueniens erat, ut Imperatores, tanquam dii, ad compotationes et comissationes inuocarentur, eorum genio libaretur, uino in mensam, uel in terram, effuso, et, sicuti munera ac laudes deorum celebrabantur in conuiuiis; ita ibidem etiam Principum laudes cantarentur, saltarentur, et mimorum gestibus exprimerentur? Id quod ex iis, quae supra, *Cap.* I, *sect.* V, VI, et VII, exposui, liquido cognoscitur. Nihil uero luculentius esse potest exemplo AVGVSTI, de quo HORATIVS, *lib.* IIII *Od.* V:

Hinc ad uina redit laetus, et ALTERIS
TE MENSIS (i. e. comissationibus,) ADHIBET DEVM.
Te multa prece, te prosequitur mero
Defuso pateris; et Laribus tuum
Miscet numen, uti Graecia Castoris,
Et magni memor Herculis.

Comoedis etiam, lyristis, saltatoribus, et mimis, post coenas priuatorum, et inter pocula, locum fuisse, satis constat. Ita PLINIVS de se, *lib.* VIII, *epist.* XXXX: *Non iam* (uti alio

alio tempore,) *comoedo, uel lyriſtae, poſt coenam locus; ſed illa, quae dictaui, retractaturus:* Lib. I, epiſt. XVI: *Audiſſes comoedos, uel lectorem, uel lyriſten, uel, quae mea liberalitas, omnes,* Lib. VIIII, epiſt. XVII: *Quam multi, cum lector, aut lyriſtes, aut comoedus, inductus eſt, calceos poſcunt:* Lib. VIIII, epiſt. XXXVI: *Coenanti mihi ſic cum uxore, uel paucis, liber legitur; poſt coenam, comoedus, aut lyriſtes.* Sic Quadratilla, cuius meminit PLINIVS, *lib.* VII, *epiſt.* XXIIII, habebat ſpectabatque *pantomimos ſuos*, qui cum in theatro, tum domi, aliquando ſingulos geſtus dominae, in eius honorem, cum canticis reddebant. Vſum uero *ſaltandi* non ſolum fuiſſe in ludis publicis, ſed etiam in ſympoſiis et comiſſationibus, nemo negabit. Et *ſaltantes* quidem uel geſtu interdum exprimebant alios, etiam Heroas, et Principes; prout ipſe Nero, teſte SVETONIO, *cap.* LIIII, promiſerat, *ſe ſaltaturum Virgilii Turnum*; uel inter ſaltandum ſimul concinebant carmina. Vnde OVIDIVS, *lib.* V *Triſt. eleg.* VII, 25: *Carmina quod pleno ſaltari noſtra theatro, Verſibus et plaudi, ſcribis, amice, meis.* etc. Quis dubitet adeo, utrobique etiam laudes Principum cantari et ſaltari, celebrarique, potuiſſe? Concedo quidem, Traianum aeque, ac Auguſtum, nomen ſuum laudesque etiam noluiſſe *commiſſionibus obſolefieri*: uerum, *commiſſiones* iſtae iam deſignantur a Plinio per antecedens uocabulum, *ludis*: *cum laudes Imperatorum ludis etiam et comiſſationibus celebrarentur.* Itemque in ſequentibus uerbis: *tu ludicras artes a tui cultu remouiſti. Commiſſio* enim erat et exhibitio ludorum; uti CICERONI, *lib.* XV *ad Attic. epiſt.* XXVI, dicitur *commiſſio ludorum*; et certamen poetarum, oratorum, aliorumque artificum, de palma laudis in ludis publicis inter ſe contendentium. Sic PLINIVS, *lib.* VII, *epiſt.* XXIIII: *Proximis ſacerdotalibus ludis, productis in commiſſione pantomimis, cum ſimul theatro ego et Quadratus egrederetur, ait mihi: Scis, me hodie primum uidiſſe ſaltantem auiae meae libertum?* Iam uero, ſi apud PLINIVM, in loco propoſito, nomine *ludorum*,

et

et *ludicrarum artium*, iam comprehenduntur *commissiones*; non nisi ταυτολογία inanis foret, si *ludis* diserte adiungerentur *commissiones*. Contra uero, uocabulo *comissationis* peculiare genus adulationis designatur: unde uulgata lectio multo est melior et significantior. Sic enim Traianus duplici ratione comparari potest cum Augusto: primo, quod uterque noluerit suas laudes in ludis et commissionibus atteri; deinde, quod sic adhuc maior eluceſcat modestia Traiani, cum dicatur noluisse celebrari, diuinoque cultu honorari in priuatis conuiuiis et comissationibus; quem tamen sui cultum Augustus nusquam legitur cohibuisse. Traianus uero utique noluit, ciues Romanos sibi usquam ut deo, usquam ut numini, blandiri. Vide *Paneg. cap.* II, 3. Hinc igitur pulcherrima et contextui conuenientissima est lectio, quam in sequentibus uerbis suggerunt eximii quidam codices MSS. *Tu* POCVLA *a tui cultu*, (in comissationibus,) TV *ludicras artes*, (in ludis pariter et comissationibus,) *remouisti*. Neque alicui mirum accidet, cur in tot aliis libris aliter legatur: *Tu procul a tui cultu ludicras artes remouisti*. Rudes enim librarii nescierunt, quomodo per *pocula* ita coli potuerit Traianus, ut talem cultum recusarit. Hinc *pocula* in *procul* commutarunt, anaphora pronominis, *tu*, quod tunc superfluum existebat, reiecta. Atque hoc modo etiam alibi *pocula*, et *procul*, inter se permisceri, obseruauit TAVBMANNVS, ad *Plauti Stichum*, V, IIII, 43, *pag.* 1302. Certe ingeniosior, et contextui orationis ac ritibus istius aeui, congruentior est haec restituta uarietas, itemque illa ἀναφορὰ pronominis, *tu*, aptior uiuidiorque, quam quae soli uel errori, uel libidini alicuius librarii, imputari possit.

Respondetur ad argumenta Arntzenii et Gesneri.

II. Sed iam audiamus, quid aduersus uocem, *comissationibus*, et aduersus emendationem posterioris loci, per quam uox, *pocula*, iure postliminii, reponitur, pro particula, *procul*, urgeant uiri docti. CL. ARNTZENIVS: *comissatio* in-

inquit, *hic locum habere non potest, cum statim subdat* PLINIVS, *saltaretur; per quod saltatio mimorum intelligitur, quae in ipsis luais instituebatur, adeoque comissationem praecedebat.* Verum, quis nescit, *saltationem* aeque in *comissationibus*, ac in *ludis*, locum habuisse, atque *mimos* quoque aliquando mensis conuiuantium oberrasse? Id quod si denuo probare uelim, charta et patientia lectoris abusurus uidear. Quid uero sibi ista uelint: *ludos praecessisse comissationi*, ubi potissimum de priuatis *comissationibus* sermo est, id, fateor, me non satis capere. Inter *comissandum* enim utique saltabatur: unde apud Graecos etiam quaedam species ὀρχήσεως, siue *saltationis*, dicebatur κῶμος. Ac, si ARNTZENIVS uel unicum HORATII locum, ex *lib.* IIII, *Od.* V, secum reputasset: DICIMVS VVIDI, *cum sol oceano subest;* uix scripturus fuisset: *Quis credat, tali re* (comissatione) *laudes Imperatoris esse celebratas?* Porro ait idem: *Neque debemus comissationem tueri eo praetextu, quasi commissiones sub generali uoce ludorum satis comprehenderentur, ut fecit Vir doct. in Mem. Prop. lib.* I, *cap.* VIIII. *Si enim hoc procedat, quid faciemus sequenti, saltaretur; utique et illa uox sub ludis comprehendi debuit: ita, ut tollenda foret, uel mutanda, si prius argumentum satisfaceret.* Sed sine caussa tricatur uir clarissimus; quasi Plinius, si prius generatim dixerit, *laudes Imperatorum ludis etiam* (i. e. commissionibus,) *et comissationibus celebratas esse*, non etiam deinde speciatim modum illarum laudum per saltationes, et cantiones, mimicosque gestus, utrobique celebratarum, indicare potuerit. Qua ratione nihil superfluum in uerbis Plinii occurrit. Locum Viri cuiusdam docti ab ARNTZENIO annotatum uidere nobis non contigit: nos uero uocabulum, *comissationibus*, non solo eo tuemur praetextu, quod *commissiones* sub generali uoce *ludorum* iam satis comprehendantur; sed potissimum auctoritate tot codicum MSS. et omnium exemplarium typis excusorum, (si a quatuor recentioribus editionibus discesseris;) adhaec consuetudine et moribus illorum temporum nitimur, ubi usitatum fuit, istis modis Prin-

cipes etiam inter pocula laudari, atque coli. Haec argumenta a CL. ARNTZENIO sunt remouenda. Denique et haec addit Vir doctissimus: *Recte Casaubonus obseruat, commissiones dici de uili laudationis genere, et ideo opponi seriis scriptis, a Suetonio*, Aug. cap. LXXXVIIII; *quomodo Plinius statim memorat seria carmina. Attende praeterea ad sequentia, ubi turpi adulationi aeternus honos opponitur; nihil uidebis de comissationibus; sed omnis res in ueris laudibus, in sera annalium praedicatione, absoluitur.* Verum non attendit ARNTZENIVS, etiam adulatoriam illam laudem Principum, in comissationibus antehac usitatam, recte dici de uili laudationis genere, ac de breui et pudenda praedicatione, et ideo opponi *seriis carminibus*, atque *aeterno honori*. In sequentibus autem uerbis utique iterum deprehendisset Vir clarissimus *comissationum* uestigia, si tot codicum eximiorum scripturam non falso pro aberrante habuisset, sed admisisset luculentissimam emendationem: *Tu pocula a tui cultu, tu ludicras artes, remouisti.* Nonne enim *pocula* ad *comissationes* faciebant? Quod ad celeberr. GESNERVM attinet, ille in *notis* ad hunc Plinii locum ita differit: *Vocabulum, commissionibus, retinendum putamus*, (nempe ex Cellarii editione, quam potissimum secutus est, et ex Casauboni commendatione;) *ea ratione, quod melius cum ludis iunguntur, et quod rarior intellectus illius induxisse uidetur aliquem correctorem, ut comissationibus substitutum iret. Eidem forte debentur pocula, de quibus statim.* Verum nescio, quomodo *commissiones* melius iungantur cum *ludis*, quam *comissationes*; si ex illa priore coniunctione, prout ante dixi, frigida quaedam ταυτολογία nascatur? Satis bene inter se conueniunt *ludi* et *comissationes*, quod utrobique (quamuis omnino diuersa occasione,) adulatio habuit locum, et utrobique breui ac pudenda praedicatione laudari colique quidam consueuerant Ptincipes. Quod hodie nobis melius uidetur, non statim uetustam, et tot libris confirmatam lectionem de possessione deiicere potest, si inprimis ea lectio commodam et moribus istius aeui congruentem sen-

sententiam efficit. Potuit fieri, ut a librariis hae uoces, *comissationes*, et *commissiones*, inter se permutarentur; sed nondum probatum certumque est, istas uoces hoc loco ab antiquis librariis permutatas. Ac, si uel maxime usus significatusque uocabuli *commissionis* rudibus quibusdam librariis difficilior intellectu accidere potuerit; potuisset tamen nomen hoc ab iis in praesenti loco aeque describi exprimique, ac in eiusdem Plinii *epist.* XXIIII *libri* VII, in omnibus, quantum constat, exemplaribus sine ulla uarietate descriptum et expressum extat. De altero loco restituto: *Tu pocula a tui cultu, tu ludicras artes, remouisti;* haec commentatur GESNERVS: *Non puto, remouisse a sui cultu pocula Traianum, qui non infensus esset inuitationibus.* Vid. *Paneg. cap.* XXXXVIIII, 8. *Neque Augusto seuerior, ad quem Horatius*, Od. IIII, 5. extr. *Longas o utinam - dicimus* VVIDI, *cum sol Oceano subest.* Scenam, histrionem, ludicras artes, *remouet Plinius, non epularem hilaritatem. Nolim ego eripi mihi, meisque sodalibus, libertatem inter sobrias, hilares tamen, et uino non carentes, epulas, usurpandi nomen* REGIS, etc. Verum, quod pace Viri doctissimi dixerim, non sequitur, ut, qui non alienus est a benigna inuitatione, is etiam breuem et pudendam laudationem adulatorum comissantium aequo animo ferat, et cultum sui diuinum inter pocula lubenter admittat. Nostra ex sententia Plinius non *conuiualem hilaritatem*, sed adulatorias comissantium laudes, et adulatorium eumque diuinum cultum, a Traiano remouet. Augusto utique seuerior fuit Traianus, eo nomine, quod non solum scenam, histrionem, et ludicras artes, sed etiam *pocula a sui cultu*, remouit; quae pocula a sui cultu remouisse nusquam dicitur Augustus. Quis uero non probet optimi Viri libertatem, post tot tantosque labores, quos quotidie impendit rei literariae ornandae, cum sinceris sodalibus suis, inter hilaria pocula, usurpandi nomen REGIS, cui omnes boni quauis occasione bene precantur, et cuius maiestatem nemo non comiter reuerenterque colit; sed, hic inter diuinum et ciuilem cultum distinguendum esse puto. *Haec in praesenti sufficiant!*

041264

VIRO IVVENI INGENIO ET DOCTRINA FLORENTISSIMO,
IO. IACOBO FREIO,
CANDIDATO HONORVM PHILOSOPHICORVM DIGNISSIMO,
S. D.
CHRISTIANVS GOTLIB. SCHVVARZIVS.

QVo propius TE noui, AMICISSIME FREI, et quo accuratius perspexi uim mentis tuae capacissimae; hoc impensius TE amo, et eleganti doctrina tua, singularique morum integritate, mirifice delector. Quid? quod nemo facile est in hoc coetu erudito, qui non eximias ingenii animique tui dotes aestimet collaudetque, ac Patriae tuae, reique literariae, optima quaeque in futurum tempus de TE polliceatur. Neque enim leue aliquid tritumque tibi placet, nec in uulgari studiorum cursu subsistis; sed, optimam uitae rationem secutus, in pulcherrimo et utilissimo doctrinae ac uirtutis genere elaboras, et stimulos honestissimae laudis ipse TIBI admoues, ut ad praeclara quaeque alacri animo enitaris. Res ludicras, et animi indormientis sibi desidiam, auersatus, tempus operamque ponis in rebus egregiis, quae praecipuum in uita decus habent, et animum diuinae humanaeque sapientiae praesidiis instruunt. Etiam Latii Graeciaeque antiquitates perscrutaturus, praestantissimos quosque ueteris aeui scriptores euoluis, unde et probatas dicendi scribendique rationes cognoscas, et exempla in illustri posita monimento intuearis, e quibus, quod imitere, quodue uites, TIBI capias. Vbi multi uix riuos quaerunt delibantque; TV, certo studiorum ordine constituto, fontes uerae solidaeque eruditionis hauris, et, si qua cum laude suscipis, ea constanti exequeris assiduitate, pulchreque conficis; nec minus tamen inter haec, quae laudis tuae palma est, modestiae semper es retinentissimus. Hinc adeo, uti iam antea in lucem Academicam prodiisti, atque in erudito certamine, applaudente Patrum Ciuiumque coetu, ingenii uim, et selectioris doctrinae copiam, quae aetatis tuae modum fere excedit, omnibus approbasti: ita nunc, maioris laudis materiam quaesiturus, et uiam tibi ad promeritos philosophiae bonarumque artium honores muniturus, repetis ingeniorum palaestram, et, quod ego, felicis exitus sponsor, certum habeo, opinionem de TE omnium expectationemque facile confirmas. Quod institutum laetum TIBI perinde ac faustum esse cupio, et Patriae tuae, ipsique reipublicae literariae, de tali tamque recti moris ciue magnopere gratulor, enixeque opto, ut industriae tuae uberrimi iucundissimique fructus constent, utque, DEI IMMORTALIS auspiciis, MAECENATVMque fauore, dignum tandem uirtute locum capessas, in quo feliciter collocatus de literis ornandis publice priuatimque bene merearis. Vale, decus iuuenum, et, quod facis, me ama!